PA 4023
.Z7 K6
Copy 1

PA 4023
.Z7 K6
Copy 1

# QUAESTIONES METRICAE ET GRAMMATICAE DE HYMNIS HOMERICIS.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XIII. M. Mart. MDCCCLXV HORA XII.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**ALBERTUS KOEHN,**

SEDINENSIS.

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. GOLDMANN, STUD. PHIL.

H. ANZ, STUD. PHIL.

---

HALIS,

FORMIS HEYNEMANNIANIS.

PA 4023
.Z7K6

PARENTIBUS CARISSIMIS AC DILECTISSIMIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Si quis accuratius Homerum et hymnos qui Homerici vocantur spectabit, inter utraque differentiam quandam interesse, majorem in hac re in illa minorem non eum fugiet, et complures viri docti jam operam in iis interpretandis et enucleandis consumpserunt, Ilgenius, Matthias, Hermannus, novissime atque optime Baumeisterus, tamen quum tantum hanc atque illam rem grammaticam et metricam exponere eorum consilio aptum esset, continuo hae res adhuc non tractatae sunt. Quare non parvum fructum et me ipsum capturum et aliis praebiturum esse censui, si eas cum Homero et Hesiodo conferrem.

Neque tamen omnes hymni eadem conditione utuntur, sed ut inter totorum hymnorum et Homeri Hesiodique elocutionem differentiam quandam interesse intelligemus, ita singuli quoque inter se hymni diversitates praebent, suo quasque loco tractandas.

Duas igitur ut jam supra memoravi partes libelli mei faciam, primum res metricas in hymnis tractabo tum elocutionem. Rei metricae, quamquam boni sunt imitatores versus heroici auctores hymnorum, tamen restat alienum quid ab Homero et nonnullae differentiae inter singula ipsa carmina. Fundamento operi toti meo est editio Baumeisteri, quam pluri mis fere in rebus sequi licet.

# Pars I.

## De re metrica.

Imitatores illos Homeri, qui composuerunt hymnos ut in ceteris ita in rebus quoque metricis maxima arte et secunda fortuna usos esse cognovi, nam praeter minorem si omnes spectamus versuum numerum multo major legitime formatus est. Quare jam singula, quae aliena ab iis sunt afferam. Quod attinet ad formationem versus Homerici sequor Theod. Bergkii, professoris ornatissimi regulas, quas ipse docuit et Hoffmanni quaestiones Homericas et Rossbachium, qui in altera metrices parte Iliadis libri I. versus tractat.

Primus quidem Iliadis liber non injuria omnium versuum norma habetur, quod minima in eo exstant corruptelarum vestigia.

### I. De singulorum pedum forma.

Sexcentos fere versus continet primus Iliadis liber, quorum centum viginti meros dactylicos habent pedes, ut quintus quisque sit dactylicus sincerus. Secundum hanc normam hymnus I. Homericus versuum centum octoginta fere triginta quinque meros dactylicos continere deberet, tamen hoc modo formati tantum viginti duo exstant. Hymnus II. continet versus fere trecentos septuaginta, quorum sexaginta duo toti exhibent dactylos, quum septuaginta quattuor numerari deberent dactylici. In hymno III., qui quingentorum octoginta versuum est, centum et unus tantum sunt puri dactylici. Hymnus IV. trecentorum fere versuum quadraginta septem praebet puros dactylicos, quum Homeri analogia requirat quinquaginta novem. Omnes igitur hi hymni cum Homero comparati diversitatem habent duodecim vel quindecim versuum dactylicorum purorum, sed inter se simillimam in hac re rationem sequuntur. Melius quadrat ad illam normam hymnus V., qui quadringentorum nonaginta quinque versuum nonaginta septem habet meros dactylicos;

duo igitur tantum desunt, si quintum quemque dactylicum sincerum numeramus. Minorum hymnorum circuitus quum minor sit tantum duos affero, septimum, qui undesexaginta et undevicesimum, qui undequinquaginta continet versus. Prior exhibere deberet dactylicos meros duodecim, alter quinque, re vera tamen plures et quattuordecim quidem ita formati in utroque inveniuntur.

Sed diversitates etiam in ceteris versuum formis exstant, quas tamen in majoribus quinque hymnis tantum illustrabo, quod in minoribus parvus versuum numerus non tam varias praebet formas neque omnino versibus tam paucis regulae fir mari possunt.

Praeter meros dactylicos versus saepissime in Iliadis libro I. usurpantur ii, qui unum habent spondeum et I. quidem versus nonaginta octo, II. nonaginta sex, IV. quinquaginta quattuor, III. denique viginti quinque. In hymnis varii sunt hi numeri. In h. ad Ap. Del. versus cum I. pede spondeo exstant septendecim tantum, quum analogia requirat fere triginta, cum II. viginti quattuor, quattuor igitur numero minores quam regula poscit, cum IV. duodecim secundum legem, cum III. denique undecim, quattuor numero plures, quam cum numeris primi Iliadis libri convenit. In h. ad Ap. P. I. pedem spondeum exhibent versus quinquaginta unus, pedem II. quinquaginta unus, IV. undeviginti, totidem III.; Homeri autem analogia requirit versus sexaginta, sexaginta unum, triginta, quindecim. Etiam h. ad Merc. similes praebet diversitates neque minores h. ad Ven. In illo spondeum habent I. pedem nonaginta unus, II. octoginta sex, IV. quadraginta unus, III. viginti quattuor versus, in hoc leguntur cum I. pede spondeo versus quadraginta septem, cum II. quadraginta, cum IV. viginti, cum III. denique decem. Sed norma, quam sequimur in hymno III. desiderat versus nonaginta sex, nonaginta sex, quadraginta octo, viginti quattuor et in h. IV. utriusque prioris formationis versus quadraginta octo, alterarum viginti quattuor et duodecim. Multo tamen plus differunt hi versus in h. ad. Cer. a versuum eorundem numero in primo Iliadis libro. Quadraginta enim quattuor versus I. pede spondeo utuntur, sexaginta II., quum Homerus in eodem versuum nnmero octoginta cum I., octoginta unum

cum II. spondeo habeat. Versuum autem qui in III. et in IV. sede praebent spondeum, singuli quattuor numero plures inveniuntur, illorum viginti quattuor, horum quadraginta quinque. Diversitates igitur horum numerorum etiam in singulis hymnis non ita parvae sunt. Sed quum numeros ipsos jam composuerim et cum Homericis comparaverim, totos eos non repetam, potius secundum ordinem numeros eos afferam, quibus singula majora inter se differuut carmina eadem omnium ratione habita. Cum I. pede spondeo exstant differentiae versuum duodecim, novem, quinque, unius, triginta quattuor. Versus cum II. spondeo differentes sunt quattuor, decem, decem, octo, viginti unus, cum IV. duo, duodecim, novem, quattuor. Minor etiam est versuum cum III. pede spondeo differens inter singulos hymnos numerus, exstat enim differentia quattuor, trium, nullius, duorum, quattuor versuum. Restant jam aliae versus formationes, tamen quia longum neque rei aptum videtur eodem omnes modo eas tractare, breviter ea quae commemoratu digna de iis collegi in tabula componam, ut primo loco numerum versuum ponam, qui hac atque illa ratione formantur, juxta, quot esse deberent secundum Homeri analogiam in primo Iliadis libro. Sic etiam singulorum carminum differentiae facile cognoscentur: Spondeum habent in sedibus:

| | I. et II. | II. et III. | II. et III. | I. et IV. |
|---|---|---|---|---|
| h. I. vv. | 10 (14) | 6 (12) | 9 (4) | 8 (8) |
| h. II. | 23 (30) | 25 (24) | 23 (9) | 18 (18) |
| h. III. | 29 (48) | 25 (38) | 14 (14) | 34 (29) |
| h. IV. | 40 (48) | 11 (19) | 14 (7) | 19 (14) |
| h. V. | 60 (87) | 30 (33) | 16 (11) | 25 (25) |

| | I. et III. | I. II. IV. | I. II III. | III. et IV. | V. |
|---|---|---|---|---|---|
| h. I. | 5 (3) | 8 (5) | 5 (2) | 1 (1) | 1 (3) |
| h. II. | 10 (6) | 9 (11) | 8 (3) | 11 (2) | 9 (6) |
| h. III. | 8 (9) | 4 (17) | 9 (5) | 8 (3) | 9 (9) |
| h. IV. | 9 (4) | 7 (8) | 9 (2) | 2 (1) | 2 (4) |
| h. V. | 11 (8) | 14 (15) | 6 (4) | 4 (2) | 18 (8) |

Praeter hos jam apponam versus spondaicos, quorum Homerus in Il. *α* praebet tantum viginti. Hymnorum poetae multo saepius hos usurpant; sic in h. I. exstant sedecim, quum secundum Homeri normam sex esse deberent, in h. II. triginta

quattuor, in III. triginta duo, quum in hoc undeviginti, in illo duodecim tantum requirat analogia. Sed differentia maxima in h. in Cer. est, nam versuum fere quingentorum toti quinquaginta septem sunt spondaici, quum si vicesimum quemque spondaicum numeramus normam supra dictam secuti, numerus sedecim versus superare non deberet.

## II. De caesuris

jam quae opus esse mihi videntur exponam. Et haec quidem quaestio multo facilior mihi fuit, quod excellentem Quaestionum Homericarum Hoffmanni librum nactus sum. Qui quum de caesuris Homero usitatissimis dicat, fere pari modo caesuram semiquinariam et post tertii pedis thesim trochaicam ab eo usurpari contendit, tamen paullo saepius exstare hanc. Ratio harum caesurarum in nostris carminibus non eadem est; quare singula tractemus.

H. I. centum octoginta versuum omnes habet caesura alter-utra instructos, septuaginta tres prae se ferunt semiquinariam, trochaicam III. pedis reliqui. In h. II. similis fere est versuum ratio, nam inter trecentos undeseptuaginta utuntur caesura post arsim III. pedis centum sexaginta sex, reliqui praeter sex trochaica. Hi sex sunt vv. 27. 72. 112. 241. 252. 254; omnes autem habent caesuram semiseptenariam et in quinque his legitima caesura impeditur voce *Πελοπόννησος*, in illo adjectivo *χρυσοπλόκαμος*. Alieni ab his sunt numeri h. III., in quo versus cum caesura post primam thesim pedis III. multo illos superant, sunt enim versuum fere sexcentorum quadringenti septendecim, semiquinariam exhibent ceteri praeter v. 381., in quo hae saesurae impediuntur vore *αἰδέομαι* et pro iis ut supra reperitur semiseptenaria. Differentia etiam inter IV. et priores duos hymnos etsi minor invenitur, quum inter versus fere trecentos centum septendecim semiquinaria utantur, III. pedis trochaica praeter duos reliqui. Excipiuntur enim e regula versus 4. et 271., ille propter accusativum *διπετέας*, hic propter vorem longissimam *ἀμφιπεριφθινύθει*, tamen etiam his locis, ut deficiente III. pedis caesura fieri solet, exstat semiseptenaria. II. denique V. similes IV. praebet numeros. Sunt versus ducenti octo instructi caesura post arsim, ducenti sexa-

ginta novem caesura post trachaeum III. pedis et tres vv. 74. 109. 458 restant cum semiseptenaria. In prioribus duobus versibus nomina propria longiora vulgari caesurae impedimento sunt, tamen uterque assumit semiseptenariam neque minus v. 458. Nullus igitur omnium hymnorum versus exstat, qui alter-utra caesura III. aut IV. pedis egeat. Versuum formas reputanti juxta has vulgares caesura bucolica, quae vocatur post quartum pedem, ut apud Homerum etiam in hymnis saepissime obviam est, quae cum trochaica tertii pedis caesura conjuncta versum quietiorem reddit, volubiliorem cum semiquinaria. De hac et de minoribus caesuris, quae non abhorrent ab usu Homerico et versus heroici cursum nunc retardant nunc accelerant non dicam, non tam quia longum est, quam quia differentias fere nullas cognovi. Restant etiam pauci versus, qui in vocem monosyllabam finiunt, tamen quum ad hanc proxime accedat vox antecedens, caesura VI. pedis in his non exstat, quae versui graeco omnino repugnat.

In h. I. versus ita formati exstant quattuor: 75. 93. 100. 165., quorum 93. et 100. nullius fere momenti sunt, quod levissimum τε finale habent. V. 75 est in oratione Deli insulae, quae fingitur quaerens, quod Latona dea in ipsa habitare se velle nuntiat, neque v. 165 sine causa monosyllabum in ultimo pede usurpat, nam poeta carminis sui fine auxilium et gratiam ab Apolline et Artemide petit (Hoffm. quaest. pag. 19.). Multo major est numerus eorum versuum in h. II. Inveniuntur enim quattuordecim toti, quorum tamen 158. 223. 258. 271 omitto propter τε particulam in fine positam. Versus 27. 134. 161 finiunt in vocem *Ζεύς*, qua ratione deorum rectoris majestatem quandam exprimi non inepte contendit Hoffmannus, quaest. pag. 20. In vv. 53. 54. 55 miris, quod nisi semel in Il. φ. 340. 341. 342 nusquam tres versus similiter sic formati se excipiunt, alloquitur poeta deum Apollinem dubius, quo hymno optime eum celebret et in media allocutione, quum de pulli dicat natura vivida non inepte corpus ejus volubile quasi imitatur versus formatione, nam praeter haec monosyllaba etiam versus sex sequentes fere puri sunt dactylici. Optime quadrat ad iratum Herae animum v. 153., finiens vocibus χωομένη κῆρ neque minus aptus est v. 167. narrationi, in qua poeta de

rebus ex hac ira resultantibus loquitur. Non injuria Graecorum accuratae et vividae omnium rerum descriptionis facultas laudatur. Nam non solum sensu vocum quid velint exponunt, sed etiam sonu. Nonne audimus navem in arena retineri, si poeta in v. 261. scribit: *ἦ δ' ἀμάθοισιν ἐχρίμψατο ποντοπόρος νηῦς?* Arena impedita retruditur navis neque minus retrudimur nos ipsi, quasi in ea vecti. In fine hujus narrationis similis etiam v. 282. reperitur, in quo desiderium escae et poti nautarum, postquam in terram pervenerunt bene versus forma describitur, In h. in Merc. versus cum caesura post arsim VI. pedis legimus septendecim, v. 240. propter *τε* et 325. propter non gravius *δέ* omitto neque de v. 86. dico plura, quod *ὥς* fine versus in anastropha est (Quaest. Hom. pag. 20.). Versus 97. et 113., qui finiunt in *νύξ* et *φλόξ* vocum sonu rem accuratius describunt, subitum diei ortum et flammam late lucentem. In vv. 254. et 270. Apollo indignatus et minans loquitur ad Mercurium boum furem. Neque v. 273. sine causa praebet hunc finem; est enim in oratione Mercurii ad Apollinem, qua ille se boves abduxisse infitiatur. Praeter alias dicti sui causas etiam affert pedes suos teneros et quo magis eorum natura cognoscatur, statim addit viam asperam qua ire non potuerit: *τρηχεῖα δ' ὑπὸ χθών.* Sequitur v. 370.; in hoc queritur Mercurius cum Jove, quod Apollo ipsum furem boum esse arbitretur, auxiliumque ab eo petit. Et non difficile pax inter deos facta est, postquam fur cantu lyrae Apollinem ab ira aversum ad ridendum convertit. „Cantus hic, inquit, certo valet quinquaginta boves et valde miror, a quo illum discere potueris. Nunc jam gloria tua per totum mundum et in coelo semper erit magna et ipse quoque te donabo.“ Optime igitur horum versuum orationis fine v. 460. utitur monosyllabo finali. Et Mercurius statim illi respondet certo promittens in v. 464., se cantum suum cum eo communicaturum esse, sed finit sua verba, nescio annon alludens ad ea quae Apollo v. 407. dixerat, precibus querentibus v. 494., ut ne diutius deus irascetur. Accedunt etiam vv. 469. 506. 540. *Ζεύς* fine praebentes et v. 467. Ut ratio ambitus poscit in h. ad Ven. dimidium tantum eorundem versuum exstat. Sed vis ne unius quidem tanta est quam similium in h. III., in v. 202. fine invenitur vox *Ζεύς*, vv. 40. 80. 201. 241. 258.

exhibent τε, 138. 246. περ, 194. γε, de quibus singula affere longum est.

Multo plurimos versus hoc modo formatos legimus in h. V., quamquam ambitus ratio tot non desiderat. Sed eos, quorum formas jam supra commemoravi tantum numeris addo. In fine vv. 3. 78. 334. 441. 460. legitur Ζεύς, vv. 53. 165. 242. 419. 421. 437. τε, vv. 37. 179. 217. περ. Restant pauci. Oratio Cereris in v. 64. sqq. statim incipit a versu sic formato, quum dea animo vexata a sole petat, ut filiam sibi indicet. V. 131. finit in vocem monosyllabam et bene exprimit indignationem et metum quae capiunt Cererem cogitantem, quid ipsi a praedonibus raptae accidere potuisset. In v. 280. fine exstat ὥς, cujus effectus bene cum totius loci sensu convenit. Ceres ab Eleusiniis cognita divinam formam naturamque iterum sumit et poeta hanc mutationem describens acurrate hujus rei effectum nominat; „domus luce divina impleta est, quae tam valida tamque subita eluxit, quam fulgoris ignis.“ Sentimus versus forma lucem et vim fulminis, V. 472. denique ultima vox χθών atque tota forma nos hortatur, ut cogitemus, quo vinculo terra liberata sit propter gratiam Cereris denuo nactam et quam laete omnia terrae semina arboresque non diutius sacrata efloruerint et viguerint.

## III. De positione.

Jam supra commemoravi et saepius etiam suo loco dicturus sum, quam accurate et diligenter hymnorum auctores non solum voces heroicas praecipue Homeri sed etiam res metricas et grammaticas imitati sint, quippe qui cum Homericis carminibus occupati facillime ad ejus dictionem et componendi rationem delabi potuerint. Etiam quod ad positionem attinet syllabarum idem contendo. Brevis syllaba apud Homerum sequente consona duplici vel duabus singulis, sive hae in initio sequentis vocis sive in eadem sive fine alterius et initio alterius vocis exstant, producitur. Tamen loci quidam ex hac regula excipiuntur. Raro vocalis brevis servatur sequentibus κλ πλ τλ χλ, a qua norma exceptum in hymnis nostris nullum omnino exemplum inveni, apud Homerum pauca quaedam, ut Il. γ. v. 414., Od. κ v. 324., ζ v. 529. Semper vocalis producitur

brevis ante mutam cum *μ* et *ν* conjunctam in Homeri carminibus aeque atque in nostris, sed Hesiodus contra hanc legem duobus locis peccat, Op. 567. *ἀκροκνέφαιος* et Th. 319. *ἔτικτε πνέουσα.* Levissima positio efficitur sequentibus muta et *ρ* consonis et in hac re differentiam parvam inter Homerum et nostros poetas interesse puto. Nam ille quoque nonnullis locis vocalem brevem ante mutam cum *ρ* non producit, ut Il. *ξ* 78. *νὺξ ἀβρότη*, *β* 808., Od. *λ* 18. ibid. 41. all. loc., tamen saepissime syllaba producitur hac positione et in I. quidem Iliadis libro nulla vox ex hac lege excipitur, omnes ceteros singulos spectare longum est et sexcenti illi versus in universum norma Iliadis esse possunt propter sinceritatem lectionis, nam ut in multis rebus ita in hac quoque diversitas inter Odysseam et Iliadem major est. Sic I. Od. liber totidem exceptionis exempla praebet quam hymni; exstant in vv. 66. 138. 149. 160. 183. 336. Ratio in singulis hh. non ita dissimilis est.

In h. I. syllabarum hoc modo non productarum tria exstant exempla, in duobus ante *τρ*: *οὐδὲ τρύγην* v. 55., *ἀλλοτρίης'* v. 60., in uno ante *βρ*: *θνητοῖσι βροτοῖσι* v. 69. brevis vocalis servatur. Quattuor sequuntur similes loci h. II. ad Ap., ante *φρ* vocalis brevis non producitur in duabus vocibus, in *Ἀφροδίτη* 17. 60. et saepius, et in *ἐφράζετο* 210; in duabus ante *χρ*: *θεμιστεύοιμι χρεών* 75. 115. all. et *ἀμάθοισιν ἐχρίμψατο* 261.

Major est exemplorum numerus in h. ad Merc. secundum majorem ejus ambitum — Septem exstant, quorum tria praebent vocalem brevem ante *πρ*: 86. *αὐτοπρεπής*, 118. *ἐπέεσσι πρός*, 253. *μύθοισι προσηύδα*, duo ante *κρ*: 265. |377. *ἐλατῆρι κραταιῷ*, 394. *ἀπέκρυψε*, unum ante *φρ*: 294. *ἄρα φρασσάμενος*, unum denique ante *τρ*: 348. *διέτριβε.*

Duo tantum loci h. IV. e regula excipiuntur v. 17, *Ἀφροδίτη* et 32. *πᾶσι βροτοῖσι.*

H. V. qua ceteri ratione quinque exempla habet, quae sequentibus muta cum *ρ* consonis vocalem non produxerunt, *Ἀφροδίτης* v. 102., in duabus vocibus sequitur *κρ*: v. 18. *ἀθανάτοισι Κρόνου* et v. 426. *μίγδα κρόκον*, *πρ*: v. 413. *βίῃ με προσηνάγκασσε*, *χρ*: v. 431. *ἅρμασι χρυσείοισι.*

Minorum hymnorum, quorum plurimi non sunt magni momenti propter parvum versuum numerum, tantum VII. et XIX. ut supra inspexi et ille unum praebet exemplum vocalis contra legem brevis servatae: *θνητοῖσι βροτοῖσι* v. 20.

Etiam non pauci restant loci, quibus contra vulgarem syllabarum quantitatem, aut vocales breves producuntur una tantum consona sequente, aut vocales natura longae corripiuntur, atque hoc semper quidem propter metri rationem factum est. Maxima est differentia quantitatis syllabarum apud Homerum, ut vocales certa quantitate vulgo instructae ab eo saepe cum contraria modo breves modo longae usurpentur et non difficile id nos in eam sententiam ducit, quantitatem syllabarum, quam voces apud Atticos et posteriores poetas habent, primis epicorum temporibus non tam certam neque stabilem fuisse, quum vocales longae eodem signo scriberentur ac breves.

## IV. De interpunctione.

Interpunctionem in versu heroico plurimum cum caesuris convenire notum est. Tamen non omnes pari modo aptae sunt ad finiendam vel retinendam sententiam, sic post semiquinariam, trochaicam pedis III. et IV. bucolicam quae vocatur, interpunctiones saepissime invenimus (Hoffm. Quaest. §. 26.)

Etiam minores non semel loquenti vel narranti moram aliquam praebent, sed in finem versus rarissimi voces interpunctione turbantur. Quum haec res in hymnis non fere aliter se habeat atque in carminibus Homericis, non mihi opus est singula afferre. Tamen ut etiam aliis in rebus ea potissimum attuli et attigi, quae a vulgaribus legibus abhorrent, ita in hac quoque pauca de V. et VI. pedis interpunctionibus dicam.

Pes V. raro apud Homerum interpunctionem habet et exstant quidem libri, qui nullum omnino hujus rei exemplum prae se ferunt. Neque hh. I., II., IV. poetae peccant contra hanc legem, sed auctor h. ad Cer., v. 203. et h. ad Merc. vv. 72. 208. 257; vv. 265. et 377. non utuntur hac conditione. Tum semel invenitur interpunctio post arsim pedis V. in h. ad Cer. v. 27, quae non ita levis est. In hh. reliquis nullum hujusmodi exemplum exstat, neque versus cum interpunctione post finem pedis V. inveniuntur, nisi duo in h. ad Cer.: v. 137.,

ubi vocativus in fine ponitur et v. 203., ubi nulla conjunctione vinctum alterum adjectivum additur alteri; in hoc igitur pausa non est magni momenti, majoris in illo. Etiam in pede VI. quamquam rarissime reperitur in carminibus Homericis interpunctio, ut Od. *α* 62. demonstrat, sed in hymnis nullum usquam hujus interpunctionis exemplum est.

## V. De digammate.

Non levem esse quaestionem de digammate jam diversissimis de eo virorum doctorum sententiis demonstratur, tamen ad rem adeam ea quae Hoffmannus in quaest. homer. libro suo attulit secutus, non quo nova quaedam me allaturum esse confiderem, sed ut etiam in hac re differentias parvas inter Homeri et poetarum qui hymnos composuerunt Homericos usum in lucem proferam. Propter minorem carminum nostrorum ambitum nemo mirabitur vocum, quae apud Homerum digammate instructae usurpantur, nonnullas prorsus non in iis exstare, tum etiam in iis vocibus quae inveniuntur non omnes illius differentiae et rationes usus sunt adhibitae.

Inter voces, quae digamma initio habent saepissime legitur pronomen pers. III. et casus quidem *οἱ ἕο ἑοῖο ἕ* exhibent hh. Frequentissime usurpatur dat. *οἱ* similiter in hh. omnibus et praeter unum omnes loci secundum Homeri analogiam, qui semper forma utitur cum digammate, servant vim omissae hujus consonae initialis. Nam quae sunt signa ejus rei, ut aut producantur praecedentis vocis longae vocales finales et diphthongi aut hiatus admittatur illicitus aut syllabae finales breves producantur, etiam in nostris reperiuntur. Cf. I, 8. 46; II, 141; III, 143; IV, 267; V. 253. 338. 373.

*ἀνδάνω* et quod ducitur ab eo *ηδύς* nonnusquam nostri praebent poetae. Ex Iliadis exemplis digamma huic verbo tribui non posse fatetur Hoffm. II, pag. 18, sed ex Odyssea duo affert, quae vocem ita intelligendam esse affirmant, *β* 114. *καί* in thesi pedis IV. et *ζ* 245. *οἱ* in arsi IV. producuntur ante *ἄδον*. Hanc normam etiam hh. loci sequuntur, legimus enim I, 71. *ἤ κε ἄδῃ οἱ*; II, 66 *τοί ἄδεν*; IV, 9 *οἱ ἄδεν*; ib. 18. *τῇ ἄδε*; ib. 21. *κούρῃ ἄδεν*. In compluribus locis invenitur *ἡδύς ἥδυμος* et singula semel adjectiva cum *ϝδύς* composita *ἡδύ-*

*ποτος* et *ἡδυγέλως*. E duobus exemplis I, 169. et III, 562. de digammate vocis *ἡδύς* concludere non licet, quia verbum cum longa syllaba in consonam terminata praecedit. Duorum exemplorum, quae *ἥδυμον* praebent[1]) alterum III, 449. *καὶ ἥδυμον* forma digammate instructa utitur, alterum ib. 241. *προκαλεύμενος ἥδυμον* retinet syllabam brevem. Etiam *ἡδύποτος* V, 49. et *ἡδυγέλως* XIX, 37. non producunt syllabam praecedentem, legimus enim *νέκταρος ἡδυπότοιο* et *πολύκροτον ἡδυγέλωτα*.

*ἄναξ* et *ἀνάσσειν* etiam in hh. digammate uti secundum Homericum usum facile demonstrant loci non ita pauci, qui hiatum praebent: in I. thesi II, 79. 90.; IV, 92., in secunda II, 107.; V, 26. 342., in V. thesi IV, 112. 196.; II. hymni propter multitudinem exemplorum non omnia attuli. Neque repugnant exempla quaedam cum *ν* paragogico ante voces has, I, 29. 59.; II, 123. 179. 204.; IV, 157. 196.; V, 17., tamen tria reperimus, quae non quadrant ad usum communem II, 207.; V, 430. ib. 440. Priorem locum si opus esset facile sanare possemus ejecta particula *δέ*, ut *ἔνθα* apud Hom. saepius legimus, tamen duo *ἔκθορ᾽ ἄνασσα* et *ἔπλετ᾽ ἄνασσα* in quinta thesi hoc modo mutari non possunt.

*ἔννυμι εἶμα ἔσθος ἐσθής* nonnusquam leguntur; *ἔννυμι* quattuor locis exstat, quorum in nullo ut in Homeri carminibus syllaba praecedens producitur, tres praebent hiatum: IV, 171. *χροΐ ἕννυτο* in pede III.; IV, 6. *εἵματα ἕσσαν* in V.; XXXII, 8. *εἵματα ἑσσαμένη* in pede II. Primus et tertius locus nihil valent ad demonstrandum digamma, sed ex altero id concludere licet. Repugnat his quartus IV, 86., ubi scribit poeta: *μὲν γὰρ ἕεστο* brevi servata voce *γάρ* in thesi pedis II. Quum etiam substantivum *εἶμα* nullum praebeat productionis exemplum, Homerus tria: Il. *γ* 392., *χ* 510. Od. *ζ* 144., jam hiatus locos cognoscamus, ut ex iis concludi posse de digammate demonstremus. Semel post the-

---

[1]) *ἥδυμος* in Homeri carminibus cum digammate scribitur a Bekkero, et Baum. in hymnis quoque pro *νήδυμος* vulgari scribit *ἥδυμος* III, 241. 449.; XIX, 16., sed formam hanc non ponit in h. ad Ven. v. 171., praesertim quum v. 177. recurrat: *νήγρετον ὕπνον*. De aliis locis cf. Buttm. Lexil. I pag. 179 sqq.

sim pedis I. admittitur hiatus ante εἶμα II, 6.: ἄμβροτα εἵματα; ter post III. pedis IV, 85. 164. 232. in τε καί et ἰδέ; quater denique thesis IV. pedis habet hiatum: III, 250. ἄργυρα εἵματα; IV, 64. περὶ χροΐ εἵματα; ib. 171. ἔννυτο εἵματα; VI, 6. ἄμβροτα εἵματα. — ἔσθος semel XXXI, 13. legitur in hiatu: λάμπεται ἔσθος, ut etiam apud Homerum Il. ω 94. λάμπετο ἕσθος et semel ἐσθής, quae illi ignota a posteris primum usurpatur, IV, 139. et ante eam ἅλις in arsi pedis IV. habet longam syllabam finalem.

Frequentissimus est numerus vocum a radice *EK* latine SEC (secus, secare) ductarum: ἑκάς exstat VII, 29.; ἕκατος I, 1. 63. 90.; II, 97. 98.; V, 25. 438.; ἑκήβολος I, 45. 177; III, 218. 236. 417.; ἑκατήβολος I, 134. 140; II, 37. 44. 51. 99.; III, 1.; IX, 6.; ἑκατηβελέτης I, 157.; ἑκαεργός I, 56.; II, 79. 179. 204. ib. saepius; III, 239. 281.; neque tamen majore jure digamma vocali initiali eorum praepositum fuisse demonstrare possumus, quam ex Homeri exemplis apparet. Immo restant duo loci, qui prorsus repugnant sententiae digammatis: I, 177. λήξω Ἑκήβολον et VII, 29. Ὑπερβορέους ἢ ἑκαστέρω, ubi vocales longae in III. pedis thesi corripiuntur. Odysseae unum locum habet Hoffm. pag. 21, ε 358, in quo digamma satis dilucide usurpatur producta voce ἐπεί ante ἑκάς. ἕκαστος quinquies sequitur vocales breves in hiatu; II, 299.; IV, 15. 212.; VI, 16. in quinta thesi exstat brevis vocalis, III, 313. in secunda, itaque de digammate concludere licet. Paullo autem saepius voces in consonam terminatae praecedunt ἕκαστος, quorum septem loci non repugnant digammati, tamen duo. Quinquies ν paragogicum praecedenti voci apponitur et in thesi quidem pedis V.: II, 269.; III, 129. 205. 431. 559., et bis, qui loci jam majoris momenti sunt in pedis V. thesi vocalis in consonam terminans non producitur ante ἕκαστος: I, 163. et III, 428. Jam vero duo exempla restant, quae elisionem in II. pedis thesi prae se ferunt: II, 357. μάλ' ἕκαστος et V, 302. οἷκαδ' ἕκαστος et contra digammatis sententiam leguntur, nisi in altero loco cum Hoffmanno pag. 191. facili mutatione scribere malumus: οἶκον ἕκαστος.

ἑλίσσειν verbi duae formae in hh. leguntur: II, 183. ἔνθα ἑλίσσετο et VIII, 6. κύκλον ἑλίσσων, neque tamen ex his de

digammate certum quid concludere licet neque majoris momenti est h. III. v. 192. *κεραέεσσιν ἑλικτάς*.

Perfectum *ἔοικα*, cujus plura exempla in carminibus nostris habemus, non nisi in ultima versus sede positum invenimus et digammate usam esse vocem demonstratur hiatu, qui in omnibus fere his locis exstat; quinquies dat. sing. tertiae decl. praecedit: II, 222. *δελφῖνι*; III, 205. 377. *φωτί*; ib. 358. *νυκτί*; VII, 3. *ἀνδρί*, bis *ν* paragogicum additur dat. plur. ante *ἔοικα*, II, 286. et IV, 55.; neque tamen hoc repugnat digammati, neque quod semel IV, 153. *αι* terminatio in IV. pedis arsi producitur, firmum contrarii est testimonium.

*εἰπεῖν* non raro exstat; in II. h. decies; in III. h. undecies, semel in I, v. 133. et in IV, v. 48.; nusquam in V; semel denique in VII, v. 54., tamen semel tantum propter hiatum inter IV. et V. pedem: II, 78. *κεχολώσατο εἶπε*, de digammate concludimus; fortasse etiam ex ejusdem hymni v. 308., in quo propter arsim longa vocalis servatur ante *εἶπω*. Non convenit cum hac lege praeter ceteros h. III, v. 199., ubi *μοι* dativus non producitur. Non frequens est usus substantivi *ἔπος*, qui tamen quaedam prae se fert exempla repugnantia digammati propter elisionem, semel I, 106. in arsi: *ἔπειτ' ἐπέεσσιν* et bis in thesi usurpatam: III, 46. *ὥς ὅμ' ἔπος* ib. 182. *μέν ῥ' ἐπέεσσιν*; similes loci etiam in Hesiodi Theog. et Scuto singulis bini, in illa vv. 84. 645. in hoc vv. 326. 445. exstant.

Digammatis testimonium in voce *ἔργον* maximum est productio particulae *καί* in thesi quarta, IV, 10. Accedit hiatus in fine II. pedis, III, 16. 46.; IV, 1.; in IV. fine, III, 454; IV, 11.; V. saepius, II, 362; III, 80. [1]) 440. 516. 531.; V, 93. 117. 351., tamen restant etiam loci repugnantes, qui haud difficile mutati praebent digamma. Nam ne dicam de iis locis, ubi *ν* paragogicum praecedentium vocabulorum finibus apponitur, IV, 9. 21. 122., bis legimus vocalem *ε* particulae *δέ* elisam ante *ἔργον*, sed utrumque locum III, 120. et IV, 6. facile sanare possumus, illum ejecta *δέ*, quae nihil ad sensum verborum

[1]) Servamus, *θαυματὰ ἔργα* e cod. Paris. B., quamquam cod. Moscov. praebet *θαύματ' ἔργα*; cf. ib. v. 440. et VII, 34.; Hes. Sc. 165. et Boeckh Pind. Pyth. X, 30.

pertinet, hunc si cum Hoffmanno pag. 188. scribimus: *πᾶσι δὲ*, neque majore injuria semel ejicimus *κε*, V, 144., ut *καί* in thesi II. ante *ἔργα* producatur. Restat unus locus: V, 65. *ἢ ἔργῳ*, non repugnans sententiae nostrae. Verbi *ἐργάζομαι* ab illo formati unam semel formam legimus: V, 139. *σφίσιν ἐργάζωμαι*, nullius momenti, quod *ν* illud paragogicum tam levis est litera.

Sequuntur voces, quae ducuntur a radice *ΓΙΔ* et semper fere in Homeri carminibus digamma prae se ferunt. Sed notio has separat in tres diversos ordines verborum, quorum unus notionem exhibet sciendi, alter videndi tertius denique apparendi. Priorum duorum usus in hymnis frequentissimus est, quare differentias maximas in eo inveniri nemo est qui miretur.

Formae verbi *εἰδέναι* quadruplicem praebent initium, incipiunt enim aut ab *ι* aut ab *ει* aut ab *οι* aut ab *ῃ*. Una tantum forma ab *ι* incipiens repugnat digammati, I, 163, ubi terminatio *σθαι* infinitivi passivi eliditur in thesi I. ante *ἴσασιν*[1]). Multo plura exempla participii reperiuntur et masculini et feminini, quorum hoc genus quater eadem conjunctione usurpatur: *κέδν᾽ εἰδυῖα* II, 135.; IV, 44. 134.; V, 202. Nusquam igitur ut in Iliade (Hoffm. §. 122.) in hiatu invenitur, quamquam facile mutari possunt verba in *κεδνὰ ἰδυῖα*. Forma masculini hiatum exhibet in V. pede: IV, 43. 167.; V, 321. Semel conjunctivus exstat cum hiatu in V. pede: II, 289. *αὖ εἰδῶ* et duobus locis futurum, III, 466. 538., quorum prior nihil demonstrat, sed alter ejecta particula *γε* neque sensui neque normae grammaticae necessaria.

Ante *οἶδα* quoque formas hiatum legimus adhibitum post V. pedem: III, 164. 456.; IV, 113.; V, 133., bis particula *εὖ* producitur ante VI. pedem: III, 467.; IV, 116. Sed restant pauci loci, qui non quadrant ad digammatis sententiam, III, 376. *τὰ δέ τ᾽ οἶδε*, tamen ejecta particula *τε*, quae a posteris primum propter hiatum posita esse videtur, nihil est quo offendaris. Tum ib. 382. legimus: *ὀπίζομαι οἷσθα*, syllaba *αι* brevi

[1]) Ita scripsit Barnesius, nam vulgaris lectio *μιμεῖσθαι ἴσασιν* omnium edd. etiam cod. Mosc. propter metrum servari non potest.

servata, cujus analogiam habemus in Il. τ. 421., unico Iliadis loco, ubi diphthongus non producitur ante οἶδα. Accedit h. III. v. 535 : τὸ γὰρ οἶδε, in quo contra legem in fine pedis II. non producitur particula γάρ ante οἶδα. Nihil concludere licet e duobus versibus ejusdem h. in Merc., v. 208. et 369. Unica forma ἧδειν reperitur IV, 207. pronomen τι in pedis V. fine non producens.

Non minor est numerus formarum alterius notionis, videndi et eae tantum a nostris poetis usurpantur quae incipiunt ab ι. Producitur semel vocalis ante ἴδον in IV. pedis arsi, IV, 185. et V, 323. syllaba brevis I. arsis, qua nihil demonstratur. Optime digamma intelligitur e locis, quibus hiatum efficiunt hae formae; in III. pede II, 20.; in I. p. III, 92.; IV, 181. 205.; V, 105.; in secundo p. IV, 56.; in quinto IV, 90.; V, 385. 427. Pauci exstant loci cum ν paragogico nullius fere momenti: in V. pede II, 237.; III, 202., V, 10.; in III. p. III, 389. 403., in II. p. V, 339. 350. Duobus locis III, 263 et V, 57. negatio οὐκ ponitur ante ἴδον et in arsi quidem. Ter terminatio in consonam cadens servatur brevis in thesi: I, 71.; IV, 256. 278. Facile sanare possumus locum v. 153 h. in Ap. Del.: γάρ κεν ἴδοιτο ejecta litera ν particulae κεν. Maxime tamen obstat digammati initiali locus III, 92, ubi legimus: ἰδὼν μὴ ἰδών correpta μή voce in thesi pedis II., quum Homerus neque vocales longas neque diphthongos usquam in Iliade ante ἰδεῖν formas corripiat (Quaest. Hom. II. pag. 27.) Simillimum nostro loco unum praebet Hesiodus: Op. 738. εὖξῃ ἰδών.

Passivi denique forma εἴδομαι εἰσάμην, quae apparendi notionem prae se fert, una tantum reperitur II, 263. ib. 271. ἀστέρι et ἀνέρι εἰδόμενος, neque praebent loci testimonium digammatis.

Bene cum his conjungendum est, quod nonnullis invenimus locis, εἶδος. Ter particula καί ante id producitur in thesi IV. pedis: II, 20.; IV, 82.; V, 275.; semel, IV, 41. hiatus post pedem II. est; ter, IV, 201. 241.; V, 146. syllaba longa in arsi exstat; duo restant loci: V, 66. 315, quibus syllaba brevis in consonam cadens non producitur ante εἶδος post pedem IV.

ἴφθιμος, quod apud Homerum digammate non uti Hoffmannus pag. 30 exemplis demonstrat, neque in hymnis neque in Hesiodeis carminibus aliam habet conditionem, nam ter id legimus in eadem conjunctione: *βοῶν ἴφθιμα κάρηνα*, III., 94. 394. 402. et semel, I., 7. cum vocali o praepositionis *ἀπό* elisa, qui locus dilucide repugnat digammati initiali.

Digammate etiam eget *Ἰάνειρα* quam semel, V, 421. habemus neque majoris momenti est Il. σ, 47. Idem dicendum est de *Ἰάνθη*, V. 419, hoc unico loco inventa.

De voce *Ἶρις*, quam ante Homeri tempora digammate usam esse in Quaest. pag. 40. sqq. demonstratur, in Homeri autem carminibus eo egere, idem fere ex hh. affere possum, nam quum bis legatur vox: I., 102., ib. 107., hoc loco formulam omnibus notissimam praebet: *ὠκέα Ἶρις*, illo elisionem efficit conjunctionis *δέ* in I. pedis thesi: *αἵ δ' Ἶριν*.

Utrum *ἰωή* apud Homerum digammate instructum sit annon, Hoffm. II., pag. 37. ex exemplis concludi non posse contendit, quum ter vox sequatur genitivum in *οιο*. Immo duo loci: Il. *κ* 139. et Od. *ρ* 261., quibus accedit h. in Merc. v. 421. digammati obstare videntur, legimus enim: *ἦλυθ' ἰωή*, sed non inepte hos locos vir ille doctissimus mutato *ἦλυθ'* in *ἦλθε* sanare vult.

Firmissima digammatis testimonia in hh. aeque atque apud Homerum habet vox *οἶκος*. Non injuria enim de eo concluditur e duobus locis, III. 61. *κατὰ οἶκον* et IV., 20. *μέσῳ οἴκῳ*, tamen repugnant duo: V. 30. *ἶμεν οἴκαδε* et magis etiam III., 285. *κάτ' οἶκον*, ubi elisa vocali finali *α* praepositionis *κατά* syllaba non producitur et hujus rei exempla etiam pauca Hesiodi exstant.

Locorum, qui *οἶνος*, V., 206. 208. et voces cum hac compositas *οἴνωψ*, II., 216. *οἰνόπεδος*, III., 207. praebent, unicus has voces digammate usas esse demonstrat, II., 216. *ἐπὶ οἴνοπι πόντῳ* cum hiatu post pedem IV., ceteri ut IV., 205. nullius momenti sunt.

*ἅλις* adverbium digammate initiali instructum fuisse ex Iliade concludere non licet. Etiam hh. exstant quinque loci nullius fere momenti. Nam quod I., 74. syllaba brevis in arsi V. producitur, non est testimonium digammatis, neque magis

h. III. v. 280. Tum non repugnant tres alii hujus h. loci: 179. 180. 493. Sed unus restat, IV., 139. et cum Hoffmanno ex hoc, qui bene quadrat ad Od. *ν*. 136., de digammate concludendum est. Legimus enim: *χρυσόν τε ἅλις* cum hiatu post III. pedis trochaeum non excusato causis metricis.

*ἑκών* bis invenitur, II., 241 et ib. 293. In priore v.: *πίειραν ἑκοῦσα* digamma non adhibetur, tamen in altero: *οὔτι ἐκόντες* in V. pedis thesi. Adverbium *ἔκητι* semel, IV., 147. sine digammate legimus: *ἀθανάτοιο δ' ἔκητι* secundum vulgarem lectionem, quamquam non difficile digamma in eo usurpari posset. Conjunctio quidem *δέ* vinculum propositionum deesse non potest, itaque mutamus cum hiatu in II. pedis thesi: *ἀθανάτου δὲ ἔκητι.*

*ἔαρ* vocis digammati alter locus hymnorum, V., 174. *πόρτιες εἴαρος* non obstat, servatur enim brevis syllaba fine pedis IV., alter autem, XIX., 17. *ἥ θ' ἔαρος* repugnat elisione pedis II., nisi sententiae de digammate nostrae causa facile mutamus verba in *ἥ ἔαρος* ejecta *τε*; quod relativum, etsi non tantam vim habet tamen in sensum bene quadrat.

De vocis *ἔλπομαι* initiali digammate nihil certi demonstratur h. III. v. 224: *λασιαύχενα ἔλπομαι* cum hiatu in fine pedis IV., sed perfecti *ἔολπα* digammati obstat: V., 213. *ἄπ' ἔολπα*, alter v. ib. 227. nullius momenti est. Repugnant etiam verbi *ἔλπεσθαι* digammati: V., 35 et substantivi *ἐλπίς* ib. 37: *τόφρα οἱ ἐλπίς.*

---

# Pars II.

## De formis.

### I. Nomina substantiva.

De I. declinatione. Nominat. singul. generis fem. vulgo in *η* pro *ᾱ* apud epicos cadit. Excipiuntur tamen nonnullae voces et in hh. quidem habemus *Φώκαια*, I., 35., *Περσεφόνεια* saepius in h. ad. Cer. et ib. 419. *Ῥόζεια*, quum in *η* cadant contra epicorum usum *Ἰχναίη*, I., 94. et *Ἀθηναίη*, XXVIII., 16.

Etiam pro brevi *α* ut in Homericis *κνίσσῃ Σκύλλῃ*, in hh. *η* usurpatur in *Κρίσσῃ* II., 260., quum nominativus *βῆσσα* all. id gen. servent *ᾶ*. Masculina I. declin. et longiores praebent formas, ut *Αἰνείας Ἑρμείης*, IV., 198., *Ἑρμείην Ἑρμείαο Ἑρμείῃ*, omnes tres in h. XIX., et breviores, *Ἑρμῆς* saepissime in h. ad Merc., tum etiam in utroque ad Ap. h.; *Ἑρμῇ* III., 497., *Ἀγχίσῃ* IV., 170.

Genit. masc. gen. et in *εω* cadit et in *αο* et prior quidem forma saepius usurpatur a nostris poetis, nam alterius tantum *Ἑρμείαο* semel, XIX., 1. habemus et *Κρονίδαο*, V., 408., quum gen. *Ἑρμεω* sit usitatissimus in III. et IV. h. et semel singuli exstent *Ἀγχίσεω*, V., 414. *Κρονίδεω*, XXXII., 2. *Τριόπεω*, II., 33. [1]) Hesiodus contra multo rariores in *εω* formatos habet genitivos quam in *αο* eosque solum in Theog. et Op.

Genitivus pluralis triplicem terminationem praebet *αων εων* et contractam *ων*. Formae in *αων* saepissime reperiuntur in h. ad Ven. et in h. ad Cer.: in IV. h. exstant *ἀγγελιάων θεάων παρειάων ἠμετεράων ἀειγενετάων*; in V. h. *ἀρουράων θηλυτεράων αὐτάων τάων ἑδράων ὀδυνάων*; XXV. 1. *μουσάων*; XXXIV. 9. *ῥοάων*; II. 280. *ἀλφηστάων*, (de significatu hujus vocis v. Herm. Philol. II. p. 428.) in *εων* tantum tres: *γαιέων* I., 46., *πηγέων* II., 85., *φηλητέων* III., 175. 292., in *ων* genitivi sex: *Ἀθηνῶν* I. 30., *ἐμῶν ἱερῶν* II., 86., *ἁπασῶν θυσιῶν* V., 110. ib 312., *μουσᾶν* XXVII., 15., quorum *θυσιῶν* tantum eam Homeri regulam sequitur, ut praecedente vocali genit. I. decl. contrahatur, ut *τρυφαλειῶν παρειῶν Σκαιῶν τῶν*. Simillimus in universum etiam apud Hesiodum harum formarum usus est, nisi quod in Scuto, quadringentorum octoginta versuum carmine sex contractas in *ων* praebet. Habet etiam exemplum genit. in *αν*: *μελιᾶν* Op. 145. Doriensium modo formati, sed pro altero, Th. 44. melius fortasse cum pluribus codd. usitatior *θεᾶν* legendum est.

Dativ. plur. in *αισι* nusquam in hh. est, aeque atque Hesiodus in Theog., Scut. et Op. fortasse etiam ea caret, in

[1]) In hanc Matth. mutavit vulgarem lectionem *Τριόπῳ γένος*, ut Callim. in Cer. 24. meliusque convenit cum antiquis edd., quam *Τριόπα*, quod Ruhnkenius et *Τριόπου*, quod Wolfius scribit.

frgm. 222. unicum habet *Λαβδακίδαισι*. Usitatissima apud nostros est forma in *ῃσι*, tum in *ῃς* exstant: *αἰδοίῃς* I. 148.; *πετραίῃς*, *χαίτῃς* II., 205. 272; *δολίῃς*, *βήσσῃς*, *θαλίῃς* III., 245. 287. 454.; *μαλακῇς*, *ῥοῇς* IV., 158. 227.; *χλεύῃς*, *τεῇς*, *ἐφέτμῃς* V., 202. 258. 358.; *Θήβῃς* XV., 2. Formas denique in *αις* quattuor habemus: *θεαῖς*, *αἷς* IV., 190. 249.; *ἀρούραις* V., 308.; *μολπαῖς* XIX., 27., quum Homerus eas tantum duobus locis, Od. ε 119 *θεαῖς*, Il. μ 284. *ἀκταῖς* usurpet. Apud Hesiodum frequentissimi sunt dativi plur. fem. generis et saepissime prae se ferunt terminationem *ῃσι*, non raro *αις* praecipue in Sc., ubi quinque et in Th., ubi tres numerantur, rarissime *ῃς*. De exemplis in Op. codd. inter se discrepant.

Contractions exemplum unum *γῇ* VII., 44. abhorret ab usu Homerico, quum reliquis locis formae legitimae *γαῖα αἶα γαίῃ γαῖαν γαιέων* scribantur. Pro forma *Ἀθηναίην* XI., 1, *Ἀθηναίης* XX., 2. etiam semel legimus breviorem *Ἀθήνην* II., 145. aeque ac juxta *Περσεφόνεια*, V., 237. et saepius (etiam *Φερσεφόνεια* XIII., 2.) *Περσεφόνη* ib. 405. Praeterea *Ἑστίῃ* dativum IV., 22 invenimus vocis Homero etiam ignotae et pro hac in h. XXIV. et XXIX. formas cum incipiente E.

Accusativus plur. in *ας* nunquam terminationem corripit Doriensium modo, quos nonnullis locis sequitur Hesiodus.

2. De II. declinatione. Genitivi forma duplex est in *ov* et thessalica in *οιο*, quae non aequa in singulis hymnis ratione usurpantur. In priore ad Ap. h. octies scribitur haec, illa sedecies, in altero h. formae in *οιο* multo superant eas in *ov*, nam harum quattuordecim exstant exempla, illarum multo plura. In h. ad. Merc. genitivi in *οιο* thessalici multo superant numerum genit. in *ov*, quum in h. ad. Ven. contrarium inveniamus. In V. denique h. utriusque formae numerus miro quodam modo aequus est, triginta sex loci singulas praebent. Etiam minores qui vocantur hymni diversitates singuli praebent, sed in universum eos inspicienti dimidio major numerus formarum vulgarium quam thessalicarum obviam est. In majoribus igitur hymnis, si omnes colligimus numeros, aequus fere est genit. in *ov* et in *οιο* numerus, apud Homerum et Hesiodum multo frequentiores sunt genit. in *ov* atque hanc legem etiam minorum hymnorum poetas sequi jam dixi.

Dativus plur. terminatur in *οις* et *οισι*, quorum usus varius est in singulis nostris carminibus. In I. h. duo tantum dativi in *οις* leguntur: v. 28. *λιγυπνοίοις* et v. 125. *ἀθανάτοις*, in *οισι* cadentes saepissime exstant. In II. ad Ap. h. eandem casus rationem invenimus, duas formas in *οις*: v. 117. *αὐτοῖς* v. 127. *οἷς*, quum altera forma non raro reperiatur. Non minus fere differens usus utriusque formae est in h. ad Merc., quamquam in *οις* sex dativi leguntur: *ψαμάθοις* v. 79., *θνητοῖς* 161., *ἀθανάτοις* 170. et 291., *ἱεροπόκοις* 288., *τούτοις* 303., nam ambitus hujus h. priores multo superat. H. IV., qui continet dimidium prioris versuum totidem praebet exempla rarioris formae: *καταθνητοῖς* 52., *ἀνθρώποις* 54., *ἀκροπόλοις* 106., et *λαοῖς*, *θεοῖς* 204., *θνητοῖς* 259. Multo autem plures dativos in *οις* praebet h. ad Cer., nam quum totus e quingentis fere versibus constet, inter undesexaginta dativos quadraginta duo in *οισι*, septendecim in *οις* terminantur: *θνητοῖς* II., *ἵπποις* 18. 32., *λουτροῖς* 50., *μεγάροις* 235., *τοῖς* 240., *παντοδαποῖς* 402., *ἄλλοις* 447., *ἀθανάτοις* II. 54. 269. 351., *θεοῖς* II. 403., *ἀνθρώποις* II. 306. 489. Similes etiam minorum hh. numeri reperiuntur, formae in *οισι* multo saepius usurpantur quam in *οις*, sic hh. VI., X., XV., XVI., XXVIII., XXIX. solos priores dativos prae se ferunt, et in h. VIII. tantum duo in *οις*, v. 7. *ἑπταπόροις*, v. 16. *θεσμοῖς* exstant, unus in *οισι*, v. 5. *ἀντιβίοισι*. Quamquam igitur dativorum formae diverse in singulis hh. usurpantur, tamen in universum frequentiores sunt vulgares in *οισι* secundum Homeri normam, quum Hesiodus plerosque suos dativos in *οις* terminet. Usitatior poetarum epicorum forma est longior, breviorem juxta illam usurpant.

Formae contractae II. declin. rarissimae sunt apud poetas epicos et nostrorum carminum auctores nusquam hujus rei exemplum exhibent, Homerus et Hesiodus uterque in eodem vocabulo, in *νοῦς* praebent contractionem.

Substantivum in *ως* habemus *Ἄθως*, I., 33. et forma quidem *Ἀθόως* cum o praeposito secundum Homeri analogiam, nam hoc cum Barnesio restituendum est ex II. ξ 229. pro vulgari *Ἄθως*.

*Ἥλιος* est vulgata hujus vocis forma apud poetas epicos,

quam etiam nostrorum hh. auctores usurpant praeter unum h. XXXI., qui in v. I. formam praebet Ἥλιον, alienam ab Homero, nam v. 271 Od. Θ. sane spurius est.

3. De III. declinatione. Substantiva quae in ις, ιδος aut ιτος cadunt saepius exhibent accusat. in α quum in ιν. Formas in ιν cadentes tantum habemus has: χάριν I., 153 et III., 375.; φύλοπιν V, 266.; χρυσόρραπιν ib. 335,, formas in α: Ἀζανίδα II, 31.; Λακωνίδα ib. 232; Χάλκιδα ib. 247.; Ἤλιδα ib. 248.; κληῖδα III, 247.; λῆῖδα III, 330.; πρεσβηίδα XXIX, 3. et utramque formam pari modo prae se fert γλαυκῶπις, bis, II, 136; XXVIII, 2. accusativos in ιν terminatos, bis in α, II, 145 et IV, 8.; et Ἄρτεμις: Ἄρτεμιν I, 159.; IX, 1.; XXVII, 1., semel Ἀρτέμιδα, IV, 16. Quam legem et Homerus et Hesiodus sequuntur. — Accusativum εὐρέα pro vulgari εὐρύν semel in hh. habemus, V, 123. et in formula quidem Homero notissima: ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης. Similiter semel, Op. 650. hic accusativus ab Hesiodo scribitur.

Genitivus et dativus dualis apud Homerum in οιιν terminantur, et duo quidem hujus formae exempla exstant: ποδοῖιν et Σειρηνοῖιν, nos unum dat. dualis tantum habemus in οιν: χεροῖν III, 52. Legitime Hesiodus semel format ποδοῖιν, Sc. 158.

Dativi pluralis terminatio vulgaris apud epicos est εσσι, sed post vocalem nonnusquam mutatur in σσι, vel etiam in σι et post vocalem et post consonam. In hh. usitatissima hujus casus forma est in σι praecedentibus vocalibus et consonis, multo minor est numerus dativorum in εσσι et minimus in σσι, quorum octo tantum legimus et septem habent stirpem in ε terminantem: πελάγεσσι I, 73., XXXIII, 15.; νέφεσσι I, 98.; στήθεσσι ib. 113 et saepius; χείλεσσι ib. 125.; ὄρεσσι III, 337.; μέλεσσι IV, 238.; ἄρνεσσι XXXIII, 10. et ποσσί saepius ejecta consona δ. In universum igitur similis est casus usus Homerico et Hesiodeo, quamquam diversitates etiam singulorum hh. non deesse apparet. Omnes dat. formas prae se fert ποῦς in nostris similiter atque in Hom. et Hes. carminibus, legimus enim ποσσί et ποσί singulas octies, I. 73. 114., III. saep., πόδεσσι semel, V, 317. et semel adjectivi cum ποῦς compositi formam: ἀελλοπόδεσσι IV, 217. Duplicem dat. for-

mat *χείρ, χείρεσσι* quater, I, 7.; V, 52. 258. 425.; *χερσί* septies decies in h. II., III., all., octies in h. ad Ap. Pyth., octies in h. ad Merc. et semel VI, 16., quae altera vocis forma etiam Hesiodo est usitatior. Non magis ab usu epico abhorret usus adjectivi *πᾶς*, format enim dativos: *πάντεσσι* semel, IV, 205. et *πᾶσιν* bis, V, 10. 476., praeterea compositi *ἅπας* etiam habemus dat. *ἅπασιν* XIX, 29. Complura neutra in *ος* tertiae declinationis habent dativos in *εσσι* et *σι*: *νέφεσσι* I, 98.; *νεφέεσσι* IV, 67.; *λέχεσι* IV, 126.; *λεχέεσσι* V, 343.; *μέλεσσι* IV, 238.; *μελέεσσι* XIX, 16. Sequuntur nonnulla nomina substantiva, quae formis in *σσι* et *σι* utuntur, *στήθεσσι* I, 113., quater in h. ad Apoll. Pyth.; IV, 73.; V, 361.; *στήθεσι* IV, 90.; VI, 10.; *ὄρεσσι* III, 337.; *ὄρεσι* ib. 33., IV, 54.; quater *οὔρεσι*. Contractorum nominum dativi plur. in Hesiodeis carminibus ut in nostris diversum sequuntur usum; plerumque assumunt terminationem quam nostra *σσι*, exempla in Th. et in Sc., in Op. *εσσι* et *σι* multo saepius quam *σσι*. Substantivum *βοῦς* vulgo exhibet dativum pl. *βουσίν*, septies in h. ad Merc. et IV, 78., *βόεσσι* bis, III, 390., ib. 412. Nominum in *ευς* duos dativos legimus: *βοεῦσι* II, 229. et *βασιλεῦσι* V, 213, quum Homerus etiam formet casum in *ῆεσσι*: *ἀριστῆεσσι*, cum quo bene convenit *ἱππῆεσσι*, ab Hesiodo semel Th. 439. usurpatum. Dativi denique in *εσι*, qui quamquam raro tamen scribuntur ab Homero, ut *ἴνεσι αἰγεσι χείρεσι* all., nusquam in hh. nostris exstant et Hesiodus quoque hac formatione caret. In toto hoc usu leges metricas maximi esse momenti et modo hanc modo illam formam iis desiderari, nemo est qui infitietur.

Nominum contractorum exempla frequentissima sunt in hh. et universim leges sequuntur, quas ille linguae Graecae magister atque princeps tulit. Semper usurpantur casus non contracti in *εος εων*, ut *ἔτεος οὔρεος τέγεος νεφέων ἐπέων ὀρέων* all. demonstrant, quum Homerus etiam praebeat genitivos in *ευς* contractos: *θάρσευς θέρευς θάμβευς* et Hesiodus similiter: *θέρευς σάκευς* et unum in *ου*: *ἔτους*, formationem etiam in Iliade et Odyssea rarissimam, nisi potius lectio *ἔτεος* cum codd. pluribus sumenda est. Dativos octo harum vocum legimus, quattuor in *εϊ* terminantes: *φάρεϊ* I, 121.; *χήτεϊ* ib. 78.; *ἄλσεϊ*

II, 57.; *εἰδεῖ* V, 66.; quum reliqua exempla utramque formationem in *εῖ* et in *ει* praebeant: *οὔδει* III, 149.; *οὔδεῖ* ib. 284.; *ἔπει* V, 65. 117.; *ἐπεῖ* ib. 199.

Nominativus et accusativus pluralis ut ceteri casus vulgo assumunt terminationem non contractam *εα*, quorum permulta in hh. exempla sunt, ut *ἄλσεα ἔπεα ὄχεα* all. id. gen. (*ἴχνεα* non affero, quam formam Jonicam pro vulgari contracta *ἴχνη* restituit Ilgenius, quia cum Baumeist. secundae declinat. *ἴχνια* legere malo); sed habemus etiam tres accusativos contractos: *ὄρη* III, 95.; *πίση* XIX, 2., juxta quos exstat *ὄρεα*, I, 34. ib. 370., *οὔρεα*, XIV, 5.; XIX, 12.; *τεύχη* XXVIII, 15. Hae quidem formae abhorrent ab usu epico, nam neque Homerus neque Hesiodus *εα* usquam contrahunt. Iis quae de dat. plural. horum substantivorum jam supra dixi, hoc unum addo, formam in *εσσι* quater, in *σσι* et in *σι* singulas sex reperiri.

Nominum propriorum in *κλῆς* cadentium duos tantum casus in carminibus nostris legimus, accus. *Ἡρακλέα* XV, 1., cujus terminatio per synizesim unam syllabam longam aequat et dat. *Διοκλεῖ* V, 474.[1]), qui contra Hom. et Hes. usum contraxit formam. Accedunt duo nominum propr. in *ης* accus.: *Γαννιηδέα* IV, 202. et *Πολυδεύκεα* XVII, 1.; XXXIII, 3., qui terminationes non contrahunt, sed hic in h. XXXIII, v. 3. per synizesim legendus est.

Substantiva quae in *ευς* exeunt appellativa apud Homerum praeter nomin. sing., voc. sing., dat. plur. vocalem *ε* in *η* producunt. Non frequentia exstant in hh. et praeter unum alienas ab illo formas non praebent. Genit. sing. legimus: *βασιλῆος* V, 358 et XVI, 3., tres nomin. plur.: *οὐρῆες* II, 85.; *τοκῆες* V, 137.[2]); *βασιλῆες* XXV, 4., tres genit. pl.: *τοκήων* IV, 131. et V, 213.; *βασιλήων* V, 103. 215., et VII, 11. et unum in *εων* terminantem: *γονέων* V, 240. Dativos *βασιλεῦσι*, *βοεῦσι*, jam supra enumeravi. Hesiodus in Th. et in Sc. sequitur

[1]) ib. 153. formam secundae declinat. *Διόκλου* habemus, ut notante Ruhnkenio etiam inveniuntur *Ἰφικλος* et *Ἰφικλῆς*, *Πάτροκλος* et *Πατροκλῆς*. Vide Eustath. ad Il. *α* pag. 112. et Hemsterhus. ad Lucian. D. M. XI. p. 462. Bip.

[2]) Ratio metrica versus desiderat, ut haec vox disyllabe pronuntietur. Scriptio disyllaba usitata est Atticorum, Thucydidis, Aristophanis praecipue, neque tamen hae formae *ι* subscriptum usurpant; cf. Buttmann, Gr. gr. §. 52. pag. 70.

Homeri normam, in Op. autem nonnusquam ab eo abhorret, velut si invenimus: *κεραμεῖ βασιλέων βασιλεῖς*.

Nomina propria in *ενς* terminantia in Homeri et Hesiodi carminibus aut formationem in *εος εϊ εα* usurpant aut hanc cum ea in *ηος ηι ηα* mixtam, nos tantum duos genitivos sing. legimus in *ηος* exeuntes: *Νηρῆος* II, 141. et *Εὐρυσθῆος* XV, 5. Restat nomin. *Τυφωεύς* II, 189., quum cod. Mosc. habeat rariorem formam *Τυφωνεύς*, quam etiam Hesych. agnoscit a *Τυφών* ductam, ut nostra formatur a *Τυφώς*. Ilgenius scribit *Τυφάων*.

Incerta est flexio substantivi *πόλις* et aliorum nonnullorum quae in *ις* desinunt, nam formae in *ις ιος* leguntur juxta eas in *ις ηος*. Genitivus sing. Homericus in *ηος* bis exstat in h. ad Cer., *πόληος* v. 114. et 151., alterius ionici genit. exemplum exstat in hh. unum: *μήνιος* V, 350. 410. et Hesiodus quoque in Sc. utramque formationem usurpat, Homerus illam tantum in *ηος*. Dat. *παράκοιτι* V, 343, habemus non alienum ab hoc, quamquam vulgo dativos sing. format in *ει* vel *εϊ*, ut *πόλει πόσεϊ πόσει μάντεϊ*, in *ι* format exempli gratia *μήτι παράκοιτι κόνι* et duplicis hujus dativi etiam Hes. exempla praebet. Nominativus secundum analogiam epicorum duplici utitur forma in *ιες* et in *ηες*: *πόρτιες* V, 174.; *ἄκριες* ib. 382.; *πόληες* XI, 3. Hesiodus tres legitimos nominat. in *ιες* et unum alienum in *εις*, *πίστεις*, Sc. 372 usurpat. Eodem modo duplices exhibet formas accusativus plur., duas in *εις*: *πόλεις* I, 175.; *πήχεις* III, 50., unam in *ιας*: *πόλιας* V, 93., utrasque etiam Homero ignotas, quum Hesiodus unum tantum accusativum et contractum quidem habeat: *ὄϊς* Op. 775. Vocis *ὄις* in hh. exstant genit. et dat. plur. legitime formati, *ὀίων* III, 51.; *ὀίεσσι* ib. 288.

Substantivorum in *νς νος* nonnulla sunt exempla in nostris carminibus, duo nominativi plur.: *δρύες* IV, 264.; *βότρυες* VII, 40., unus genit. pl.: *ἀσταχύων* V, 456., quattuor dativi pl.: *ἀσταχύεσσιν* V, 454.; *σύεσσι* III, 569.; *ἰγνύσι* ib. 152.; *ὀφρύσι* V, 358., omnes lege formati, unus accusat. pl.: *ὀφρῦς* III, 279.[1]), quam etiam Homerus juxta *ὀφρύας* habet, dat.

---

[1]) *ὀφρῦς ῥίπτάξεσκεν* Baum. praebet cum Herm. pro *ὀφρύσι ῥ.* in edit. Matth. et Ilgen.

denique sing. non contractus *Ἴσχυι* II, 32., cujus *ι* elisione ejectum est, quum Homerus dativos tantum contractos usurpet ut *πληθυῖ*, *θρήνυι*.

Complures casus nominis *βοῦς* legimus, qui secundum regulas usus epici formantur, genit. sing. *βοός* III, 49.; plur. *βοῶν* ib. 94., nominat. plur. *βόες* III, 71., sed accusat. pl. duplicem: *βοῦς* III, 74. all., praesertim in h. ad Merc., *βόας* quater in hoc eodem h., dativ. denique pl. *βόεσσιν* bis, at non raro *βουσίν*. Semel dualis accus. *βόε* III, 405. legitur. Homerus abstinet forma *βοῦς* (cf. Thiersch gr. Gr. §. 195.), quum Hesiodus bis hac utatur, semel *βόας*, quae tamen non omnibus codd. probatur. Duo exempla reperimus substantivi *γραῦς*, dat. *γρηΐ* V, 101. et vocat. *γρῆϋ* V, 113., qui eodem modo formati in Hom. carminibus sunt.

Accedunt substantiva neutrius generis *ας ατος*, quorum *τ* autem saepissime ejicitur. Sic genitivos invenimus: *γήραος* IV, 106.; *σέλαος* V, 189., dat. *δέπαϊ* I, 10., qui tres continet syllabas, genitivos plur. tres: *γεράων* V, 311.; *κρεάων* III, 130. et juxta hanc contractam formam *κρειῶν*, etiam ab Homero saepius usurpatam, bis accusat. pl. *κρέα* III, 120. 135., qui quamquam e duobus vocalibus *αα* contraxerunt terminationem, tamen brevem habent hanc literam *α*, ut Homerus praebet *κρέα γέρα* et Hesiodus *σκέπα*, breves formas sequentibus similiter nostro loco consonantibus.

Vocis *Ποσειδάων* a nostris tantum formae in *εων* usurpantur IV, 24.; XXII 1. ib. 6., Hesiodus etiam habet *Ποσειδάων* semel Theog. 732., nam haec ionica forma cum Goettlingio melior esse videtur quam attica contracta *Ποσειδῶν*, in plerisque codd. quidem scripta.

In declinatione substantivorum in *ηρ* maxima diversitas invenitur propter metrum, ut mox formae cum *ε* scribantur, mox alterae. Saepissime exstat vox *ἀνήρ* et duplicem format genit. sing.: *ἀνδρός* III, 222. et *ἀνέρος* ib. 44.; IV, 199., dat. quoque duplicem: *ἀνδρί* IV, 46.; VII, 3. *ἀνέρι* II, 171. Pluralis numeri exstant formae: nominat. *ἄνερες* IV, 139. et *ἄνδρες* VII, 6., accusat. *ἄνδρας* V, 136. et *ἄνερας* I, 142.; IV, 150. Formam cum *ε* vocali tantum habet accusat. sing. *ἀνέρα* III, 200., formam ejecta *ε* genit. plur. *ἀνδρῶν* I, 160.; IV, 103.

Duplices formas praebet dat. pl., nam et scriptam invenimus *ἀνδράσι* I, 65.; III, 259. et semel VII, 27. *ἄνδρεσσι*, quam etiam Homerus saepius usurpat. *πατήρ* in hh. sine *ε* habet genit. sing., III, 274.; IV, 107. 171. 180. 415.; dat. sing., II, 119.; IV, 134. 138.; et cum *ε* accusat., IV, 21.; et eadem fere est formatio vocis *μήτηρ* in hh., nisi quod semel etiam dat. cum *ε*: *μητέρι* reperimus, IV, 134.; *μητρός* exstat V, 236. 344.; IV, 115.; *μητρί* V, 171.; III, 459.; XXXIV, 21. — Nominis proprii *Δημήτηρ* complures casus leguntur et omnes quidem in h. ad Cer. Duplex est sing. genit. et accusat. formatio: *Δήμητρος* v. 453.; *Δημήτερος* v. 439.; *Δημήτερα* vv. 319. 442.; *Δήμητρα* v. 1.; vocat. *Δήμητερ* v. 75. invenitur et pro hoc v. 54. nominat. usurpatur, una denique dat. forma *Δημήτερι* 297. 374. — Casus quos a *θυγάτηρ* formatos legimus, non inserta vocali *ε* omnes exstant, genit. sing. V, 201.; *θύγατρα* ib. 2.; *θυγάτηρ* XIV, 2., pro vocativo cum brevi terminatione; plur. nominat. *θύγατρες*, V, 105.; genit. *θυγάτρων* ib. 146. — Duo denique similium substantivorum restant genitivi sing.: *γαστρός* III, 296. et *αἰθέρος* IV, 70. Si omnes igitur hos casus discernimus, facile intelligitur formas sine *ε* multo saepius et duplici fere numero in universum usurpari quam eas cum inserto *ε* et in hac quoque re hymnorum poetas epicorum usum Homeri et Hesiodi quam diligentissime observasse, quamquam etiam non paucae sunt formae, quas hi praeter nostras usurpaverunt, nostri praebere non potuerunt propter minorem versuum ambitum.

Priusquam vero ad substantivorum anomalorum usum transeo, pauca quaedam de iis vocabulis exponam, quae aucta terminationibus *φιν θι θεν δε* adverbiorum vice funguntur. Numerus eorum omnino parvus est in carminibus nostris et initium faciam a formis cum *φι* terminatione. Sunt hae quattuor: *θύρηφιν* III, 36.; *φαινομένηφιν* V, 293.; *Ἐρέβεσφι* ib. 349.;[1]) *ὄχεσφιν* ib. 375., quarum tres priores etiam ab Homero, quamquam cum sensu alio usurpantur. III, 36 legimus:

[1]) Sic enim scribenda est haec forma non *Ἐρέβευσφι*, nam haec suffixa stirpi vocum apponuntur non casui alicui. Proprie igitur formandum esset *Ἐρέβοσφι* tum *ο* mutatur in *ε* ut *σάκεσφι*, *Ἐρέβεσφι* apud Hes. demonstrant et librarii vitium hoc loco commiserunt *υ* inserentes.

*οἶκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν*, adverbium nostrum igitur cum articulo conjunctum est, ut saepius in graecae linguae usu invenimus, et nominativus subjecti est, praedicati *βλαβερόν*, sc. *ἐστί*. Homerus semel *θύρηφιν*, Od. *ι* 238. praebet: *λεῖπε θύρηφιν* pro simplici adverbio loci, ubi actio verbi fit, usurpatum. *φαινομένηφιν* poeta h. V. utitur legitime in conjunctione vocabulorum usitatissima: *ἅμ᾽ ἠοῖ φαινομένηφιν*. Idem dicendum est de forma *ὄχεσφι*, nam simillimus nostro est Homericus locus: *ὑπ᾽ ὄχεσφι τιτύσκετο ἵππω*. *Ἐρέβεσφι* denique significat locum, e quo aliquid movetur: . . . . . *πατὴρ ἤνωγεν ἀγαυὴν Περσεφόνειαν ἐξαγαγεῖν Ἐρέβεσφι* . . . . et maxime accedit ad Il. *κ* v. 458.: *κυνέην κεφαλῇφιν ἔλοντο*, in quo eadem movendi notio desideratur, quamquam noster poeta actionem etiam describit propius praepositione *ἐξ* verbi *ἐξαγαγεῖν*. Paullo plura hujus formationis exempla apud Hesiodum exstant, qui quum in Sc. nullum praebeat, tamen tria in Th. et in Op. quinque usurpat primae declinationis, alterius unum in Th. *θεόφιν* et unum tertiae in Th.: *Ἐρέβεσφιν*. Etiam praepositionem his formis praeponit *ἐκ θεόφιν*, Th. 871. et *ἐς ἔννηφιν*, Op. 410., cujus analogiam in hh. nusquam invenimus. — Formam nominis cum *θι* compositi unam tantum habemus II, 225.: *πάντοθι*, cui similes Homerus et Hesiodus praebent *νειόθι αὐτόθι*. Cum substantivo igitur nusquam in hh. componitur haec terminatio, quum in Hes. Sc. 85. unum hujus formae exemplum inveniamus, complura apud Homerum ut *οἴκοθι κηρόθι οὐρανόθι*. — Maior est numerus verborum cum terminatione *θεν* et quidem substantivorum: *Πιερίηθεν* III, 85.; *Λιλαίηθεν* II, 63.; *Κρήτηθεν* V, 123.; *κρῆθεν* ib. 182.; [1]), adjectivorum *αὐτόθεν* III, 411. *ομόθεν* IV, 135. inveniuntur. Quattuor priores formae et *αὐτόθεν* optime secundum analogiam Homericam compositae sunt, quamquam voces ispsas non praebet hoc modo formatas praeter *κρῆθεν* (*κατὰ κρῆθεν*) bis. *Ὁμόθεν* significat originem, e qua aliquis

---

[1]) *κατὰ κρῆθεν* nostro loco et apud Homerum voces distinendas esse Aristarchi sententia fuit, Schol. A. ad Il. *π* 548. et exemplis demonstratur praeterea, ut *ἐξ οὐρανόθεν*, *ἐξ Αἰσύμνηθεν*, quae affert Krueger. Dial. §. 19., 3. not. 3. Neque aliter senserunt Spitzn. ad l. c. et Goettl. ad Hes. Theog. 574.

ortus est, i. e. ex eodem patre vel matre et bene convenit cum Homerico *πατρόθεν* Il. *κ* 68. et *Διόθεν*, Il. *ω* 194. 561., quum in omnibus intelligatur persona, e qua quis originem suam traxit. — Restant vocabula suffixo *δε* aucta, quorum numerus multo priora superat, et declinationis I. quidem tantum unum habemus: *θύραζε* I, 116.; VII, 51., decem II.: *Πυλόνδε* III, 342.; *Ὠκεανόνδε* ib. 68.; *Ὀρχηστόνδε* ib. 186.; *Θορικόνδε* V, 126.; *Οὔλυμπόνδε* ib. 484.; *χερσόνδε* I, 28.; *ἠπειρόνδε* II, 328.; *πεδίονδε* III, 88.; *ἡμέτερόνδε* V, 163.; *πέδονδε* ib. 253.; tria III. decl.: *ἅλαδε* I, 145.; *οἴκαδε* III, 379., V, 302.; *φόωσδε* I, 119.; quorum omnium sensus bene consentit cum Homerico et Hesiodeo.

Nomina anomala. *Ἄιδης* legitur V, 371, accusat. bis, *Ἀίδην* III, 572. et V, 336., dat. *Ἀίδῃ* ib. 79. Tum forma III. declin. exstat genitiv.: *Ἄϊδος* IV, 154., prolongata denique semel *Ἀϊδωνεύς* V, 84., omnes neque Homero ignotae neque Hesiodo, qui solas cum spiritu leni formas usurpat et separatis semper prioribus vocalibus *A* et *ι*. — Vocis *Ἄρης* tres casus invenimus, lege formatos, *Ἄρηος* IV, 10.; *Ἄρηϊ* XI, 2.; *Ἄρες* VIII, 1., cujus syllaba prior prolongatur, quum vulgo hanc esse brevem constet. Praeter hos Homerus et cum brevi quidem vocali initiali habet: *Ἄρεος Ἄρεϊ Ἄρει*, quamquam rarius, genit. bis etiam Hesiodus in Scuto. — *γόνυ* praebet quattuor formas, nominat. plur. *γούνατα* V, 281.; accus. pl. *γοῦνα* I, 117.[1]) aeque formatum ac *δοῦρα* II, 225., cujus haec sola forma in hh. exstat; duplicem genit. pl.: *γούνων* III, 328. et *γουνῶν* V, 263., quamquam etiam codd., librariorum vitio hoc tribui potest, nam apud Homerum praeter longiorem genit. pl. *γουνάτων* breviorem tantum reperimus *γοίνων* cum accento in prima syllaba. — *ἔαρ* tres loci habent, omnes genit. sing., XIX, 17. formam ab Homero non alienam *ἔαρος*, alienam V, 174. *εἴαρος*; ib. 455. *ἦρος*; Hesiodus quoque *ἔαρ* tantum utitur, nonnusquam per synizesim pro una syllaba legendo. —

[1]) Haec lectio praestat conjecturae utriusque Matthiae *γνῖα*, quod Aug. ipse animadv. ad h. in Apoll. pag. 130. fatetur et ad vulgatam firmandam affert etiam Pausan. VIII, 48. p. 698., de Ilithyia dicentis. Hunc locum laudat Boettiger. in progr. „Ilithyia oder die hexe“ p. 30 sq.

*Ζεύς* duplicem formationem sequitur, tamen formae a radice *Δι* ductae minus frequentes sunt, nam semel singulae exstant *Διός* I, 2.; *Διί* ib. 5.; *Δία* III, 57.; alterius formationis semel legimus *Ζῆνα* XXIII, 1.; *Ζεῦ* III, 368.; genit. *Ζηνός* nonies, (III, 516. 538.; IV, 36. 131. 187. 213. 215.; XII, 3.; XXVI, 2.), dat. *Ζηνί* bis III, 312.; XIX, 44. — *Θέμις* IV, 124, legitimos format casus, genit. *Θέμιστος* VIII, 4. et *Θέμιστι* XXIII, 2., tamen ab Homero justitiam solam non jam deam justitiam haec vox notat. — *κάρη* triplicem praebet dat. formam: *καρήατι* V, 169; XXXIV, 16.; *κάρητι* V, 466.; *κρατί* VI, 7., duplicem genit. sing.: *καρήατος* I, 5.; *κρατός* ib. 74.; XXXI, 12.; XXXII, 4.; accusat. plur. *κάρη* ter usurpatur, III, 240.; IV, 174; V, 189. Huc accedit singularis quaedam forma, ab usu Homerico aliena, nomin. plur. *κάρα* V, 12., quum ille aut *καρήατα* aut *κρᾶτα* formet. — Substantivi *κυκεών* accusat. contractum invenimus V, 210.: *κυκεῶ*. — *μείς* in h. III. v. 11. pro vulgato *μήν* usurpatur, ut in Hes. Op. 557. — *νηῦς* non raro exstat ejusque casus. Nominat. sing. bis legimus, II, 240.; V, 126.; genit. *νηός* saepius; *νηί* II, 219.; V, 126.; accusat. *νῆα* II, 217.; VII, 35.; plur. genit. *νηῶν* XXII, 5.; XXXIII, 8.; accusativ. *νῆας* I, 55. et formationis cum ε pro vulgari η unum tantum genit. plur. *νεῶν* XXXIII, 7.; Homerus vulgo habet formas *νηῦς νεός νηί νέα νέες νεῶν νησί νέας* et pro his saepius formas cum η. Hesiodus quoque formas *νεός νέα νεῶν* non usurpat, et uno loco praebet genit. omnino alienum *νεώς* fgm. 93, 7., si hanc lectionem certam accipere licet. — Vocis *Πυθώ* formantur duo casus, dativus sing. *Πυθοῖ*, V, 212. lege formatus, ut *Λητοῖ*, I, 62., cujus etiam genit. *Λητοῦς*, II, 4. exstat; accusat. duplex: *Πυθώ* II, 5., similis accus. *Λητώ* XXVII, 19, et *Πυθῶνα* III, 178., qui requirit nominat. *Πυθών, ῶνος*. — Nominis *οἶς* semel nominat. plur. *οἶατα* III, 305. reperitur; Homero notissimus. — *υἱός*, ut in carminibus Homericis, duplicem sequitur declinationem, tertiam et secundam. Tertiae declin. casus exstant dativ. sing. *υἱεῖ* I, 46.; genit. ib. 51.; accusat. II, 28.; nominat. plur. II, 119. et contractus *υἷες* IV, 51.; secundae nominat. sing. II, 4.; accusat. I, 126.; vocat. II, 367; superant igitur III. declinationis formae secundam. — Substantivum *χρώς* legitime format

casus: *χροός* IV, 163.; *χροΐ* IV, 171; VI, 14.; *χρόα* V, 50.; XXXII, 7. —

## II. Nomina adjectiva.

1. Gradus positivus. Duo adjectiva in *ος* exstant in hh., quae contra usum vulgarem duorum tantum generum sunt, *βίαιος* et *θερμός*; legimus enim VIII, 17.: *κῆράς τε βιαίους* et III, 110.: *θερμὸς ἀὐτμή*. Etiam apud Homerum exempla hujus rei non desunt, ut *κλυτὸς Ἱπποδάμεια*, *θῆλυς ἔέρση* all. id genus. Hesiodus praeter eadem exempla (*θερμὸς ἀὐτμή* quoque in Th. 696. legitur) alia quaedam praebet, aliena et a nostris poetis et ab Homero: *ἀταρτηροῖο γενέθλης*, *ἀρῆς κρυεροῖο*, *Λητω ἤπιον* in Th., *ἱερὸν ἀκτήν* in Op. et semel adjectivi superlativum masc. gen. cum substantivo fem. conjunxit: Th. 438., *Λητὼ ὀγανώτατον*, cum quo bene convenit Homericum *ὁλοώτατος ὀδμή*. — Numerus adjectivorum compositorum in *ος*, quae vulgo duorum generum sunt, permagnus est in hh. eoque major, quod in adjectivis formandis et componendis optima poetis occasio videbatur rerum novandarum. Quum igitur vulgo haec adjectiva duorum generum sint, tamen etiam restant nonnulla apud Homerum et Hesiodum, quae femininum usurpant et eadem licentia a nostris poetis scribuntur. Sic legimus: *ἀμφιρύτη* I, 27.; II, 73 [1]); V, 491.; *ἀδμήτη* IV, 82.; *ἀργυρόπεζα* II, 141.; *ἀπριάτην* V, 132., nisi potius ut in Il. *α* v. 99. cum Theod. Bergkio *ἀπρίατον* legendum est. Sed complures restant voces, quae quum apud Homerum semper duorum tantum generum sint, in hh. femininum formant. *ἀμβροσίη* sic legitur, III, 230., tamen semel ib. 71. *ἄμβροτοι* cum feminino conjungitur et Homerus praebet praeterea femin. *ἀμβρότη*. Accedunt *ἀμφιάλη Πεπάρηθος*, I, 32.; *εἰγναμπτὰς ἕλικας* IV, 87.; *ἀπειρήτην* ib. 133.; *ναυσικλειτής τε Εὔβοια* I, 31.; II, 41.; *Δήλοιο περικλύστης* II, 3., nisi potius cum cod. Mosc. *Δήλοιο περικλύστου* legendum est, quod Barnesius quoque jam praebet. Similiter contra vulgarem usum feminino

[1]) Baumeisterus femininum usurpat vulgatum, quum in cod. Mosc. vv. 73 et 113. exstet masculina terminatio; v. G. Koenium ad Gregor. de dial. p. 25. Hesiod. Op. 595. et Apollon. Rhod. IV, 425. in locis similibus habent mascul., at idem I, 1305., Homerus Od. *λ* 324.; *α* 50.; *μ* 283. femininum.

genere scripta inveniuntur ab Hesiodo adjectiva *ἀμφιέλισσος* fgm. 93., 9.; *ἐννύχιος* Th. 10., non alienum ab Homero; *μεταχρόνιος* Th. 269. Omnia haec adjectiva notissima sunt Homero, tamen nusquam femininum eorum usurpat. Reliqua duorum generum adjectiva in hh. enumerare longum est, et quum diversitates ab epicis in formatione non praebeant, ea omitto. — Adjectiva in *εος* et *οος* a poetis epicis nusquam contrahuntur [1]) et praeter unum nostrorum quoque carminum poetae hanc normam sequuntur, quamquam non ita raro terminatio per synizesim monosyllabe legenda est. Exstat unum exemplum in h. ad Apoll. Pyth. v. 258: *ἄψορροι* pro legitimo *ἀψόρροοι*, velut I, 152. scriptum est *ἄθροοι*. Pro simplici vocali *ε* saepius diphthongus *ει* usurpatur in *χρύσειος*, tamen vulgaris forma *χρύσεος* multo illam superat. Semper formis non contractis utitur Hesiodus, nam quod semel Op. 144. legimus *ἀργυρῷ*, potius cum Goettlingio *ἀργυρέῳ* cum *ε* scribendum et velut saepius in hh. per synizesim legendum est. —

Adjectiva in *ως ων* ut apud Homerum et Hesiodum in nostris carminibus rarissima sunt. *ἀγήρως* IV, 124., vox etiam Hom. non ignota format accusat. sing. *ἀγήρων*, V., 242.; accus. plur. *ἀγήρως* I, 151.; accus. *ἀγήραον* V, 260. a nominat. *ἀγήραος*, qui juxta eum in *ως* usurpatur, ut *ἵλαος* XXIX, 9. pro *ἵλεως*. Hesiodus hujus adjectivi habet *ἀγήραος* formam saepius, ab altera ductum semel accus. *ἀγήρων*. Similiter formatos invenimus etiam: *εὔβων* I, 54. [2]) et duos accusat. in *ωτα*: *ἡδυγέλωτα* et *δικέρωτα* XIX, 37. adjectivorum, quae omnino ignorat Homerus. —

Adjectiva in *υς* cadentia, quorum octo exempla in hh. sunt, non abhorrent ab Homerico usu. Femininum vulgatum est in *εια* praeter unum in *εα* I, 107.: *ὠκέα Ἶρις*, quod etiam Homerus semelque Hesiodus, Th. 780. praebet. Leguntur praeterea genit. sing. *ὀξέος* II, 196.; dat. *εὐρεῖ* ib. 140., neutrum plur. nom. *εὐρέα ὀξέα*, genit. *ταχέων*. In Sc. 348. Hesiodus

---

[1]) Secundum hanc regulam etiam IV, 93. *χρυσέη* praestat vulgari *χρυσῆ*.

[2]) *εὔβων* praeferendum est lectioni *εὔβουν* trium codd. Paris., ut *λιπαρόχρων* in Theocr. II, 182. formae juxta eam inventae *λιπαρόχρουν*.

produxit vulgarem plur. terminationem *εα* in *ει*α: *ὀξεῖα*, quae forma quamquam non plane legitima, tamen non sine analogia scribitur, itaque hoc loco servanda est. De accusativo sing. *εὐρέα* pro legitimo *εὐρύν* jam supra dixi. Notandum etiam est femininum *λίγεια*, XXI, 3., cum acuto in prima syllaba non ut reliqua circumflexam paenultimam syllabam habens.

Satis frequentia sunt adjectiva in *εις* et praecipue in *ηεις* et *οεις* terminantia, quorum illa raro in Homericis nusquam in Hesiodeis neque in nostris carminibus contrahuntur, sed hoc *ο* terminationis post syllabam cum vocali longa nonnusquam prolongatur, ut *κητώεις ὠτώεσσα*, Op. 657. et in hh. semel *εὐρώεις*: *ὑπὸ ζόφῳ εὐρωέντι* V, 425. ib. 482. Reliqua retinent brevem *ο* terminationis metri causa propter praecedentem syllabam brevem. Masculina in *ηεις* et *οεις* cadentia saepius nominibus propriis feminini generis apponuntur, ut legimus: *Πύλον ἠμαθόεντα* II, 220. 246.; *Ὀρχηστοῖο ποιηέντος* III, 190.; *Ἄντρωνά τε πετρήεντα* V, 491. Similiter ab Homero usurpantur *ἠνεμόεις ἀμπελόεις ὑλήεις*.

Non minus frequentia sunt adjectiva in *ης*, *ες*, quae plurimas formas praebent non contractas. Homerus nusquam contrahit terminationes *εα εας εων*, sed in hh. tres accusat. sing. ex hac regula excipiuntur: *Κυπρογενῆ* X, 1., *Τριτογενῆ* XXVIII, 4.; *εὐειδῆ* XXXII, 1., idem in Hes. fgm. 83, 4., et accusat. plur. *κληροπαλεῖς* III, 129. sc. *μοίρας*. Genitiv. sing. et plur. semper vulgarem formam habent, nominat. plur. in *εες* terminat, ut *ἀφραδέες* II, 14.; *περικαλλέες* IV, 88.; *ἀολλέες* V, 127.; *ζαφλεγέες* VIII, 7. et vocativus contra legem in *εις* contractus: *ἡδυεπεῖς* XXXII, 2. Dativus sing. vulgo desinit in *εἰ*, tamen formae in *ει* contractae non minus frequentes apud Homerum sunt quam nostrae. Octo dativi exstant in hh., quinque non contracti: *ἠεροειδέϊ* II, 315.; *παλαιγενέϊ* V, 101.; *θυώδεϊ* ib. 231.; *νεοθηλέϊ* XXX, 13.; *κελαινεφέϊ* (V, 91. 316. 463.; XV, 3.; XVII, 4.; XXXIII, 5.) et tres contracti: *καταπρηνεῖ* II, 155.; *κηώδει* V, 13.; *εὐώδει* XXVI, 6. Similis fere contractionis horum adjectivorum ratio est apud Hesiodum, qui formas non contrahit praeter unum accus. sing. fgm. 83, 4. et tres dativos: *ἀτενεῖ* Th. 661., *εὐειδεῖ* ib. 757., *εὐαεῖ* Op. 599.

πολύς, πολύ duplicem declinationem casuum formationis praebent. In hh. non omnium casuum exempla exstant, reperimus enim nom. sing. πολλός III, 249.; accusat. πολύν ib. 337.; plur. nominat. duplices: πολλοί bis, I, 143.; III, 203. et πολέες II, 217; accusat. πολλούς III, 286.; dativ. pl. πολλοῖσι II, 301. Non paucae igitur formae sunt, quas apud Homerum usitatas, hh. non praebent propter minorem versuum ambitum, genit. sing. et pl., dat. plur. III. declinationis, accusat. sing. et III. decl. plur. Praeter πολέας, Op. 580. Hesiodus quoque iisdem quam nostri poetae formis III. declin. caret. Vulgaris est in Homericis carminibus productio vocalis *o* in *ov* adjectivi πολύς in nomin. et accusat. sing. mascul. et femin. gen., sed nusquam hae simplices formae in nostris exstant, tamen duae similes adjectivorum cum πολύς compositorum: πουλύποδες I, 77. et πουλυβότειρα III, 518. Similia quaedam exempla apud Hesiodum leguntur et semel quoque simplicis πολύς accusativus cum diphthongo *ov* scriptus, Th. 190.

2. De comparatione. Comparativus et superlativus vulgo formantur additis terminationibus τερος et τατος et adjectiva quidem in ος exeuntia desinuut in ώτερος et ώτατος praecedente syllaba longa, brevi in ότερος et ότατος. Sic formantur in hh. compar. φαεινότερον IV, 86., superlat. λιπαρώτατος I, 83.; δεινότατος ib. 86.; ἀκρότατος VII, 45. Aliae comparationis terminationes sunt ιων ιστος vulgatae adjectivorum in υς cadentium et superlativos duos eorum legimus: ἥδιστος I, 169.; I, 169.; τάχιστος IV, 46., cujus comparativum etiam habemus semel atticum θάσσων III, 212. Eandem comparationem sequuntur κυδρός et φίλος, quorum prioris superl. κύδιστος, I, 62. et IV, 42. exstat, alterius rarior tantum comparat. φίλτερος, III, 525. Etiam ab usu Hesiodeo formae Homero notae φιλίων φίλιστος alienae sunt et pro iis φίλτερος φίλτατος usurpat. — Addenda jam sunt comparativa et superlativa anomala. ἀγαθός variissimas formas habet. Nostri poetae quattuor diversos comparativos exhibent: κρείσσων et ἀρείων II, 89.; φέρτερος II, 161. et V, 229.; βέλτερος III, 36. 170., superlat. ἄριστος I, 93 et III, 166.; non igitur exstant formationes κάρτιστος βέλτατος φέρτατος, comparativ. λωίων λωίτερος ἀμείνων. Non sunt ignotae Hesiodo, nam in Op. quater exhibet λωΐων

et *ἀμείνων* semel in Sc. 51., in Op. autem multo saepius quam *ἀρείων*. — *κακός* in hh. tantum comparat. *χειρότερος* V, 291. prae se fert, qui praeter *χείρων* formatur et *χερείων*, ut praeter *κακώτερος* comp. *κακίων*; *κάκιστος*, unica apud Homerum et Hesiodum superl. hujus adjectivi forma, nusquam exstat. — *μικρός* adj. comparativum non legimus[1]), sed superlat. *ἐλάχιστος* III, 573., hoc unico loco scriptum. Homerus utitur compar. *ἧσσων* et superl. *ἥκιστος* semel, Il. *ψ* 531. et Hesiodus etiam formis *μείων* bis, Th. 447. et Op. 690. et superl. *ὀλίγιστος* semel, Op. 723. — *πολύς* utramque comparat. formam prae se fert: *πλείων* III, 98. et *πλέων* ib. 548.; formae autem ab his ductae ut *πλέες* et *πλέας*, quas Homerus usurpat, neque in Hesiodeis neque in nostris carminibus leguntur. — *μέγας* format superlat. *μέγιστος* semel, I, 85. — *πίων* apud Homerum habet superlat. *πιότατος* Il. *ι* 577. aeque atque in Hes. Op. 585., nos eum nusquam legimus, semel comparativum *πιότερος*, I, 48. — Restant pauci comparativi et superlativi, qui non ab adjectivis sed ab aliis vocabulis ducuntur. A substantivo *κύων* ducitur superl., Homero quoque notissimus, *κύντατος* V, 306., a praepositionibus superl. *ὕστατος* III, 284. et compar. *μεθύστερον* V. 205., quorum prior etiam ab Homero non ignoratur, tamen alter. Superlativus *πύματος*, cujus stirps omnino ignota est, exstat III, 289. Ab adverbio denique ductus restat comparat. *ἑκαστέρω* VII, 29. ab Homero alienus, quamquam superl. *ἑκαστάτω* usurpat; utraque forma etiam in Herodoti libris historicis non raro exstat. Hesiodus hac ratione formatas tantum duas voces exhibet, compar. *ῥίγιον*, Op. 703. et superl. *ὁπλότατος*, frequentatum in Th. et in fgm.; praeterea ab adjectivo *λοῖσθος*, cui apud Homerum superlativi vis inest, superlat. *λοισθότατος* format, Th. 921.

## III. Numeralia.

1. Cardinalia. *εἷς* in hh. casum praebet *ἕνα* III, 284., praeterea neque *ἴος*, Homero notum neque *οὐδείς*, cujus dativum

[1]) *οὐτ' ἐλάχεια* II, 19., cum quo conferas Od. *ι* 116. et *κ* 509., intelligendum, ut Zenodotus defendit, pro feminino adjectivi *ἐλαχύς*, unde habemus formas *ἐλάσσων* et *ἐλάχιστος*. Vide Matth. Gr. gr. I. pag. 254. Aliter Doederl. Gloss. III. p. 88. De accentu v. Buttm. Gr. gr. §. 62. n. 3.

et neutrius nominat. ille quoque habet, invenitur, nisi semel *μηδέν*, II, 160. adverbii loco usurpatum; apud Hesiodum etiam notanda est forma dilatata *ἕεις*, quam praeter hunc locum nusquam legimus. — *δύο* nusquam exstat, quod Homerus pro *δύω* usurpat, si metri causa vocalis brevis ei opus est, sed compositum cum eo *σύνδυο* „binos“ significans, IV, 74., *δύω* ter legimus: III, 405.; V, 400. 447., semel alteram formam *δοιός* pro simplici, III, 117., quam Hesiodus saepius prae se fert. — Lege formatos invenimus casus: *τρεῖς* III, 247. 554.; *τρία* ib. 448.; XXXIV, 11. et cum hoc compositam vocem eodem loco *τριετηρίς*. — *τέσσαρες* exstat III, 195.; V, 107., quum Hesiodus hoc abstineat et Op. 698. doricum *τέτορα* scribat et Homerus praeter haec etiam formam *πίσυρες* praebeat. *ἑπτά* legimus III, 51.; *ἐννέα* I, 91. et duo adjectiva cum hoc composita *ἐννῆμαρ* ib. 91. *ἐννεάπηχυς* ib. 104. Semel invenitur *δώδεκα* III, 128. quum *δυώδεκα* et *δυοκαίδεκα* formationes Homero praeter nostram notae nusquam exstent. Simplices etiam ab Hesiodo alienae sunt, sed adjectiva duo praebet cum *δυώδεκα* composita: *δυωδεκάμηνος* et *δυωδεκαταῖος*. — Usque ad centum numerum duo tantum cardinalia restant in hh.: *πεντήκοντα* III, 74. et *ἑκατόν* V, 12., utrumque lege scriptum. Accedit denique locus, III, 25., qui habet *μύριον*: *ἐκτήσατο μύριον ὄλβον* et in eo non numerum, sed permagnam omnino gloriam sensu desiderari apparet. Homerus quoque non ignorat hanc vocem, tamen pluralis tantum *μύριοι* in usum ei venit, sensu innumerabilium vel hominum vel rerum.

2. Ordinalia. Simplicem formam *τρῖτος* nusquam habemus, semper et ter quidem longiorem *τρίτατος*, quam etiam Homerus praeter illam usurpat, V, 399. 446.; VIII, 8.

3. Duo etiam restant numeralia: *διάτριχα* V, 86., quum Hom. tantum simplici *τρίχα* utatur et *τρισσάς* IV, 7.: *τρισσὰς δ' οὐ δύναται πεπιθεῖν φρένας*, ubi nostrum pro simplici *τρεῖς* positum esse facile intelligitur.

## IV. Pronomina.

1. Pron. personalia. *ἐγώ* et *σύ* saepissime usurpantur et utrumque etiam adjecto suffixo *γε*, tum prius formationem quoque prae se fert *ἐγῶν*, I, 77.; IV, 178.; XXV, 7., formam *τύνη*,

quam Homerus et Hesiodus semel, Th. 36. praeter σύ praebent, ignorant hymnorum poetae. — Genit. sing. formae permultae secundum Homericae normae varietatem in hh. reperiuntur. Pron. pers. I. tres formas habet, quinquies ἐμεῖο in hymnis ad Apoll. Del., Pyth., Mercur., ter ἐμέθεν in hh. III, II, IV. et semel II, 133. μεῦ; ἐμέο vel ἐμεῖ nusquam invenimus scriptas. Pers. II. genitivorum frequentissimus est σεῖο, sexies in majoribus omnibus, septies in minoribus hymnis positus, sexies σεῦ exstat (II, 90.; IV, 293.; V, 1.; IX, 9.; XVIII, 11.; XXX, 6.), ter σέο (XXX, 5.; XXXI, 18.; XXXII, 18.), ter σέθεν (III, 446.; IX, 8.; XXX, 4), semel denique σοῦ, XXIX, 4., Homero plane ignotus. Pers. III. semel legimus genit. ἕο, V, 253., quum Homerus easdem in hoc quam in duobus prioribus pronominibus habeat differentias. Usus horum genitivorum apud Hesiodum multo est rarior, nam personae I. formas tantum μεῦ et ἐμεῖο, II. σέο et σέθεν, III. unicam εἷο semel habet. — Dativi sing. leguntur: ἐμοί quinquies, μοί saepius; ἐμοί exstat in hh. I., III., IV., semel singulis, quater in hh. II. et V.; μοί bis in h. I., quater in h. II.[1]), decies in h. III., ter in h. IV., sexies denique in h. V.; τοί forma multo superat σοί, quae mixtae in omnibus hymnis usurpantur, et haud raro dativum οἵ reperimus, neque vero ullum exemplum formarum Homericarum τεΐν et ἑοῖ. — Accusativum ἐμέ quinquies (I, 74.; II, 134.; III, 167.; IV, 104.; V, 1.) legimus, quum satis frequens sit usus brevioris accus. μέ, personae III. accus. ἕ quinquies (II, 141.; IV, 267.; V, 338. 340. 373.), multo saepius μίν. Diversitas igitur singulorum nostrorum carminum in usu pronominum, I. praecipue personae non est magna et in universum optime ad Homerum et Hesiodum formae quadrant, quod encliticae multo saepius scribuntur quam longiores. — Dualis numeri nominativum νῶϊ bis habemus, III, 168. 255., Hesiodus quoque semel dativum νῶϊν, Sc. 350. — Pluralis casus frequentiores sunt, tamen non omnium exempla secundum Homeri analogiam afferri possunt. Nominat. ἡμεῖς legitur ter,

[1]) v. 156. servamus μοί, quia exaudiendi et obtemperandi vis in verbo κέκλυτε inest et Eustath. ea conditione dativum cum κλύειν conjungi posse fatetur, ut Hes. Theog. 474.

I, 174.; III, 491.; V, 417.; ὑμεῖς bis I, 166. 171., genitiv. ὑμέων exstat quater (XXV, 7.; XXVII, 22.; XXIX, 14.; XXXIII, 19.), dativi complures formae: ἡμῖν VII, 31. et ἄμμι XI, 5.; pers. II.; ὑμῖν II, 364.; V, 201. et ὔμμι I, 169.; II, 356.; pers. III., σφίσιν, V, 139. 185.; σφίν septies (I, 164.; II., 250. 284.; IV, 136.; VII. 341.; XIX. 19.; XXX, 9.), accusat. ἡμᾶς XXVI, 12.; ὑμέας II, 303.; σφέας II. 273. 282.; V, 349. Non paucae tamen restant dual. et plur. formae, quae ab Homero usurpatae locum non inveniunt in hymnis; aeolicae enim formae nomin. et accus. ἄμμες ὔμμες ἄμμε ὔμμε, quarum exemplum Hes. Sc. 87. ἄμμες praebet, omnes desunt, tum genit. ἡμέων σφέων σφῶν et cum syllaba producta ἡμείων ὑμείων σφείων, accusat. denique ἡμέας σφᾶς σφέας, quamquam has simpliciores formas a poetis non esse scriptas non tam consilio quam parvo carminum ambitui tribuendum est.

2. Pron. reflexiva. In his quoque pronominibus ut in ceteris rebus hymnorum auctores studiosos et diligentes Homerici usus imitatores se praestant, nam semper haec tantum ἐν παραθέσει, ut ita dicam, usurpant, nusquam componunt in unam vocem. Pauca omnino eorum exempla inveniuntur; personae I. duo: ἐμὸν αὐτῆς II, 97.; ἔμ᾽ αὐτόν IV, 104., quae voces cum facile in unum scribi possint, tamen lectione codicum et analogia reliquorem locorum suadente melius separantur. Ter reperitur pers. II. pronomen, τὸ σον αὐτοῦ III, 93.; σοί τ᾽ αὐτῷ ib. 459.; σὴν αὐτοῦ ib. 565. et bis denique pers. III. pron., οἳ αὐτῇ II, 97. et ἣν αὐτοῦ III, 59. Hesiodus semel in legem epicorum peccat, Th. 126., ubi exstat ἑαυτῇ, et haec lectio quum propter diversam ab Homero dialectum tum consentientibus omnibus codicibus servanda est. Duobus aliis locis lectionem paucorum codicum cum reliquis plurimis mutare praestat et scribere, Th. 470. pro αυτῆς certius αὐτῆς, αὐτῷ Op. 296. pro αυτῷ.

3. Pron. possessiva multo frequentiora sunt et in iis formis, quas usurpant nostri poetae, ab Homero non abhorrent, tamen etiam plures huic propriae restant, quibus illi abstinent. ἐμός ejusque casus non rarius scribuntur quam σός, sed pro hoc in h. ad Cer. doricum τεός exstat, vv. 258. 368. Saepius leguntur casus pronom. pers. III., ἑός quinquies (I, 8.; V, 286.

313. 333.; XIX, 45.); ὅς nonies (II, 142. 170. 197. 206. 150. 266.; IV, 203; V, 246.; VII, 16.). Etiam ἡμέτερος, ὑμέτερος compluribus locis exstant, nusquam formae praeter illas ab Homero usurpatae ἀμός et ὑμός. Omnino deest exemplum formae σφός ejusque casuum, quum σφέτερος semel, XX, 7 conspiciatur; νωΐτερος denique et σφωΐτερος a formis num. dual. ductae nusquam ab hymnorum poetis scribuntur.

4. Pron. demonstrativa. Quum in articuli usu, quem etiam nostrorum carminum auctores saepissime pro demonstrativo habent, nulla fere differentia ab usu epico appareat, aliquid de eo exponere opus esse mihi non videtur et casus quoque pronominum ὅστε et ὅδε secundum Homeri et Hesiodi leges in hh. formantur. Quare statim transeo ad

5. Pron. indefinitum. Nominat. sing. et plural. τὶς τινές, sing. neutr. et mascul accusat. non semel reperiuntur, nusquam genitivi τέο τεῦ neque dat. τέῳ. Apud Hesiodum τεῦ Op. 330. est unica pronom. indefiniti forma. Pron. negativum οὔτις, quod ab Homero et Hesiodo ignoratur, quater conspicimus, I, 53.; II, 224.; IV, 109.; V, 329.; et bis fortasse accusat. μήτινα, II, 525. 537.: μήτινα ἄλλον, bene quadrans ad voces ἄλλος δ' οὔτις, I, 53., nisi vulgatam lectionem secuti duas voces separare malumus.

6. Pron. interrogativum τίς complura praebet exempla, saepius nominat.: τίς τί τίνες et accusat. τίνα, duos dativos τέῳ I, 170.; τίνι V, 404.; quem Homerus nusquam exhibet. Contra hic etiam utitur forma τίῃ pro neutro τί, quam amplificatam Hesiodus quoque Th. 35. usurpat.

7. Pron. correllativa. Horum pauci tantum casus in hymnis sunt. τοῖος ter invenimus in h. ad Merc. vv. 225. 342. 349. in eadem verborum conjunctione: τοῖα πέλωρα, τόσος bis, I, 45; III, 94. duplicata litera σ. Homerus praeterea utitur formis longioribus τοιοῦτος et τοσοῦτος, quarum haec nusquam in hh., illa semel IV, 241. usurpatur, et τηλίκος uno exemplo hymnorum quoque probata, in h. ad Cer. v. 116.: τηλίκαι ὥς σύ περ ὧδε . . . .

## V. Verborum formae.

Primum de augmentis faciam verba, et in universum praemitto in hymnis Homericis non aliene ab Homero augmenta

nunc poni nunc omitti, ut versus et metri ratio requirit. Tamen etiam in hac re singulorum carminum majores aut minores differentias inveniemus, de quibus postea suo loco dicendum erit. Jam videamus singula.

1. De augmento syllabico. In omnibus hh. aoristi et imperfecta cum hoc augmento fere aequant numerum temporum sine augmento praeter h. III., qui centum quattuor formas praebet cum augmento, omisso tantum quinquaginta. Post augmentum syllab. consonae nonnullae vulgo ab Homero duplicantur et saepissime quidem *ε*, cujusmodi exempla tria habemus: *ἔρριψεν* III, 79.; *ἐρρώσαντο* ib. 505. et IV, 261.; *ἐρρύσατο* XI, 4.; reliquae non rarae verborum cum *ρ* inchoantium formae etiam posito augmento non geminant consonam. Non semel ab Homero duplicatur augm. post *λ* et in nostris carminibus duo hoc loci praebent V, 40.: *ἔλλαβεν*, cum quo conferas simillimum ejusmodi unicum locum Th. 179., et *ἔλλαχεν* ib. 86. 87., illa praeter alias etiam Homerus utitur non hac; *ν* geminat in unica forma, *ἔννεον* Il. *φ* 11., Hesiodus et nostri poetae nusquam, sed unum praebent exemplum *μ* hoc modo geminatae, quod ille (bis tantum usurpat *ἔμμαθε*) non exhibet: *ἔμμορε* IV, 37. Hesiodus unum locum prae se fert, qui huic epicorum legi repugnat, fgm. 217. *ἔρεξε* cum simplici *ρ* post augm., quum ipse quoque reliquis locis consonam *ρ* initialem geminet, si cui verbo augmentum praeponitur; *ἔμμορε* bis habet, in Op. et in Th. singulis semel; *σ* denique, quae ab Homero in formis a verbo *σεύειν* ductis geminari solet post augm., unum hh. quoque exemplum invenimus: *ἔσσυτο* V, 287., Hesiodi quinque, *ἔσσυτο* Sc. 458.; *ἀπέσσυτο* Th. 859,; *ἐσσυμένως* ter in Sc.

2. De augmento temporali. Etiam in formis verborum, quae hoc assumunt similem singulorum hymnorum diversitatem reperimus. Augm. temp. in compluribus verbis ab Homero omittitur, quae ab *α* et *ε* incipiunt sequentibus consonis duabus. Sic semper sine augmento habet *ἄζομαι ἄχνυμαι ἔρδω* et veri similiter etiam *ἕλκειν* et *ἔλπομαι*. Trium priorum *ἔρδειν* tantum semel legitur in legitima forma, *ἔρδεσκε*, II, 177., reliqua duo in hh. augmentum assumunt: *εἷλκον* III, 116. et V, 308; quum *ἕλκον* II, 228. *ἕλκετο* VII, 32. sine augmento exstent; et *ἥλπετο* V,

35. Hesiodus unicam verbi ἕλκειν formam ἕλκε, Sc. 158. secundum legem sine augmento usurpat. Forma ἥρετο III, 404. abhorret ab usu epicorum, qui formam semper usurpant indicat. εἵρετο. De reliquis verbis ab *α* vocali incipientibus nihil dicendum esse mihi videtur, quia eorum usus plane Homericum aequat. — Diphthongus *αι* semel augmento in *η* mutatur in ἦσχυνε II, 209, altero loco, III, 434. legitur αἴνυτο augmento carens, ut semper apud Homerum et Hesiodum, sed hic in αἰωρεῖσθαι non nisi augmento auctas formas habet. — Verba, quae ab *ε* incipiunt sequuntur usum heroicum, ut pauca quaedam ab *ει* et *ευ* diphthongis inchoata praeter unum ἐπεύχεσθαι, cujus semel aoristus medii invenitur, ἐπηύξατο II, 184., nam *ευ* scriptum esse hoc loco omnes fere codd. repugnant neque alter locus analogus exstat. Una forma restat ab Homero aliena, ἐώθει III, 305, quum is semper habeat cum augmento εἰώθει. — Inter verba, quae pauca omnino vocalem *ι* initio habent, ῑ praebent, ἵλάσκοντο V, 292. et ἴθυνε II, 243.; ῐ servant ἵμασε II, 262.; ἰάχησε V, 20. et XXVIII, 11.; ἴηνα V, 65. 435.; ἴαυσεν ib. 264.; ἴδον sexies (III, 263. 363.; IV, 181. 185.; V, 57. 68.), quae forma verbi ὁράω semper usurpatur, nusquam longior εἶδον, etiam Homero minus usitata quam ἴδον. ἱκνέομαι formae modo producunt modo brevem habent *ι* initialem propter metrum et hanc normam ab Homero et Hesiodo primis esse statutam apparet, nam metri necessitas modo longam modo brevem syllabam requirit, ut non semel in duobus versibus sequentibus in altero cum longa in altero cum brevi vocali initiali eadem forma exstet. — Etiam usus verborum, quae ab *ο* incipiunt varius est, praecipue quod propter parvum, si cum Homero comparantur hymni, versuum numerum multae formae tantum semel aut omnino nusquam scribuntur. Sine augmento inveniuntur: ὀλόλυξαν II, 267.; ὄπαζε III, 120.; ὀνόμαζεν IV, 144. 176.; ὀχεῖτο ib. 217.; ὄλεσσε V, 310.; et solae cum augmento: ὠρίζεσκον III, 58.; ὦπτα ib. 121.; ὠμόργαζε ib. 361.; ὦμοσα ib. 536. et V, 26.; ὠρέξατο V, 15. Utrasque sine augmento et cum augm. formas prae se fert verbum ὄρνυμι: ὄρουσα V, 17.; ὦρσα IV, 2. et V. 314.; ὤρνυτο VII, 36.; ὠρίνετο II, 346., ὤρουσα denique cum augmento semel, XXVIII, 8., ab Homero alienam. Maior igitur formarum numerus augmentum assumit

et hac lege Hesiodus quoque utitur, qui aliene a nostris exemplis in verbis ὄρνυμι et ὀπάζω semper formas augmento auctas praebet et in unico aoristo ὦλεσα. Contra o servant ὀρούω in Sc. nonnusquam usitatum et ὄσσομαι semel, Th. 551. — Verborum ab οι inchoatorum ᾤχετο bis, Sc. 91. 200. apud eum exstat et apud nostros idem quater legitur (ᾤχετο III, 340.; V, 93. 415.; ἐπῴχετο III, 150.). — Verborum denique, quae duplicem augmentum assumunt, unum semel exemplum invenitur, verbi ἀνοίγειν perfectum: ἀνέῳγε III, 247.

3. De reduplicatione. Hanc etiam in hh. ut apud Homerum et Hesiodum tempora usurpant omnia praeter praesens, imperfectum, futurum atticum quod vocatur. Non raro reduplicatione utitur aoristus II. generis activi et medii. Sic inveniuntur πέπιθε II, 97.; κέκλυτε II, 133. 156.; συνήραρεν I, 164.; ἤραρεν III, 50.; πεπιθεῖν IV, 7.; τέτμον V, 179. 342.; λελάκοντο III, 145.; ἐπεπείθετο ib. 395.; ἐκέκλετο V, 88.; qui omnes etiam in Homeri carminibus locum habent. Neque minus aoristi duo κατέπεφνεν IV, 160. et ἐπέφραδε V, 474., qui praeter reduplicationem augmento utuntur, nisi melius cum Thierschio gr. Gr. p. 406. ἐπέφραδεν pro aoristo compositi verbi accipiendus est. Accedunt duae formae Hesiodeae, μέμαρπον Sc. 245. et μέμαπον ib. 252., nusquam ab aliis scriptoribus usurpatae. Raro reduplicatae formae futuri activi spectantur et in nostris una tantum exstat, aliena ab Homero, ἀκαχήσεις III, 286., sed ab hoc aliae ita formantur fut. act. et fut. III. passivi, cujus unicum exemplum legimus δεδμήσεσθαι II, 365. Duo aoristi II. act. in hh. usurpant reduplicationem: ἐξαπάφησε II, 198., cujus analogum unicum Homeri invenimus ἀκάχησε Il. ψ 223. et τετορήσας III, 119., hoc enim e cod. Mosc. contra recentiorum auctoritatem legere praestat pro τε τορήσας. Anomalae denique formae reduplicatae, ἐπενήνοθεν IV, 62. et κατενήνοθεν V, 279. sequuntur Homerum, qui ipse quoque semel usurpat ἀνήνοθεν.

4. De terminationibus. μι personae I., quod Homerus paucis conjunctivis ut κτείνωμι τύχωμι all. apponit, nusquam in hh. legitur, et quae aliena in iis inveniuntur ad usum pers. II. et III. pertinent. Pers. enim II. sing. praeter terminationes vulgares poetarum epicorum praebet σθα et indicat. et conjunct.

Hoc modo formantur indicat. *ἧσθα* IV, 186. et *σχήσεισθα* V, 366.[1]); conjunct. *ἔχῃσθα* I, 56. et *ἐθέλῃσθα* III, 181., hic ab Homero quoque usurpatus. Unicum Hesiodi exemplum formationis in *ῃσθα* est Op. 392., *πίῃσθα*, etiam ab illo non ignoratum. Pers. III. forma in *ῃσι* non rara est apud Hom. et Hesiodum in Th. et Op. et semper conjunctivi est. In hh. quinque habemus, quattuor in h. ad Merc., *φέρῃσι* 91, *δώῃσι* 174., *ἐθέλῃσι* 547., *τύχῃσι* 566., *πέμπῃσι* XXXI, 16. — Passivi pers. II. praebet plures formationes anomalas, quamquam usu Homerico probatas. Vulgatae pers. II. terminationes sunt *ῃ* et *ῳ*, saepe tamen longiores exstant *εαι ηαι αο*. In vulgatam *ῃ* desinens unum exemplum habemus: *ἔρχῃ* III, 156., et unum in *ῳ*: *ἐδύνω* III, 405. contra Homeri usum. Plurimae reperiuntur formae in *εαι*, in h. ad Apoll. Del., *ἐπιτέρπεαι* 146., *μήσεαι* 144., *ἔσεαι* 187. et III, 37.; in h. III. praeterea *διδίσκεαι* 163.,[2]) *ὄψεαι* 181., *κατάκειαι* 254., *κεκλήσεαι* 292. et IV, 148., *ἀκούσεαι* 334., *εὔχεαι* 378.; in h. ad Ven. *ἐπεύξεαι* 286.; in h. ad Cer. *καταδέρκεαι* V, 70., nulla in *ηαι* et duae denique in *αο*: *ἐβήσαο* I, 141.; *κιχήσαο* II, 62. Pro forma *δέξαι* II, 96., quam Matth. e codd. scripsit, i. e. *δέξαιο* e Bergkii conjectura futurum *δέξεαι* legere malo, vocali *ε* facile inserta; *εο* terminatio praeter unam formam contractam in *ευ*: *πύθευ* II, 185., semper usurpatur in pers. II. indicat. et imperat. temporum praeteritorum. Indicativi leguntur: *ἀφίκεο* II, 65.; *ἵκεο* ib. 104. et quattuordecim imperativi, (*βάλλεο* II, 83.; *φράζεο* ib. 147.; *πείθεο* III, 378. et V, 467.; *μέλπεο* III, 476.; *ὄρσεο* IV, 177.; *ἴσχεο* ib. 290.; *ἐποπίζεο* ib.; *ἵκεο* V, 218.; *ἕλκεο* VII, 26.; *ἀείσεο* XX, 1.; *ἔρχεο* et *ἐπέρχεο* XXIV, 1.;

---

[1]) In codd. est *σχήσησθα*, unde Ruhnken. mutavit: *ἀμφὶ δὲ τιμὰς ἔχῃσθα*, ne conj. fut. remaneret, quem postea scripserunt quidem Ilg. et Matth.; Herm. conjecit pro hoc: *τιμὰς δ' αἰὲν ἔχῃσθα* et Vossius denique conjunctivum hoc loco poni non posse monuit et posuit: *τιμὰς δὲ σχήσεις θάμ' ἐν ἀθ.* Inde Herm. fecit *σχήσεισθα* ferenda, quamquam terminatio haec vulgo fut. non apponitur; cf. Lobeck. ad Buttm. Gr. gr. II. p. 188. et Ahrens Dial. Aeol. p. 129.; cf. Theogn. 1316.; Theocr. XXIX, 4.

[2]) Ita correxit pro vulgato *τιτύσκεαι* Piersonus ad Moeridem Att. pag. 119., idque Ruhnkenius quoque praefert in altera epist. crit. editione conjecturae suae *πινύσκεις*, qua in priori utitur.

ἄρχεο XXXI, 1.). Hesiodus similem fere rationem in usu harum terminationum sequitur, quum praeter unam formam in *ῃ*: *ὠνῇ* (metri causa haec multo praestat longioribus) plurimae habeant *εαι*, sed totidem fere *ηαι*, quae a hh. omnino alienae sunt. Nusquam adhibet *ω* et semel *αο*: Th. 544. in *διεδάσσαο*, *εο* bis, nusquam *ου*, bis *ευ* in *ἑλεῦ* et *ἐργάζευ*. — Pers. I. plur. quinquies invenitur, quarum tres terminant in vulgare *μεθα*: *εὐχόμεθα* II, 292.; *ἀνεξόμεθα* III, 169.; *διοισόμεθα* ib. 255.; duae in *μεσθα*: *στρεφόμεσθα* I, 175. et *βιόμεσθα* II, 350.; hanc singularem habet poeta h. in Ap. Pyth., de qua vide Buttm. Gramm. gr. — Personae III. pluralis perfecti plusquamperf. imperf. non multa habemus exempla, perf. *εἰρύαται* V, 152.; unum plusquamperf. cum vulgari terminatione *ντο*: *κεχάρηντο* ib. 458.; quattuor imperf., unum in *ατο*: *καθείατο* II, 226., tria vulgaria, *ὀρχεῦντο* ib. 18.; *ἐξετελεῦντο* ib. 171.; *ἡγεῦντο* V, 181. Restat una optativi forma, quae formationem Homero usitassimam in *ατο* sequitur: *ἀποναίατο* V, 132. Hesiodus similem nullam omnino formam habet. — Aoristi pass. pers. III. non raro *εν* habet apud Homerum pro vulgato *ησαν* et hanc legem etiam trium hymnorum poetae sequuntur in aoristis primis: *ἔλειφθεν* III, 195.; *ἐφόβηθεν* VII, 48.; *ἔτερφθεν* XIX, 45., et Hesiodus ter in Th. v. 144., *τράφεν* v. 183., *ἀπέσσυθεν* v. 674., *κατέσταθεν*. Infinitivi act. praeter vulgares terminationes saepissime apud poetas epicos usurpant *μεναι* et *μεν* cum accentu in vocali, quae hanc et verbi radicem conjungit. Etiam in hh. non varius est harum formarum usus et praes., futuri, aor. II. infinitivi hoc modo formantur. Praesent. habemus: *θοασσέμεν* III, 172.; *ἴμεν* II, 236.; IV, 220.; V, 302. 484., quum semel tantum legatur *ἰέναι* V, 163.; octies *ἔμμεναι* (I, 51. 81.; II, 81. 110. 121.; IV, 103.; V, 214.); et omisso propter metrum altero *μ*: *ἔμεναι* XXII, 5.; *εἶναι* contra sex locis (II, 302.; III, 224. 275. 466.; IV, 221. 240.); fut. quinque: *πρυτανευσέμεν* I, 68.; *ἀξέμεν* ib. 103.; *ἀξέμεναι* V, 443.; *δωσέμεν* ib. 444.; *βρισέμεν* ib. 456., aoristi II. septem formas: *ὑποσχόμεναι* I, 103.; *εὑρέμεναι* II, 15.; *ἐπιβήμεναι* III, 465.; *πιέμεν* V, 209.; *προγνώμεναι* ib. 257.; *ἐλθέμεναι* ib. 461.; *κατισχέμεν* VIII, 14. Pass. duo infinitivi hanc longiorem formam prae se ferunt, non alienam ab usu Homerico, *δαήμεναι*, sex in h. ad

Merc. usurpatam, vv. 205. 444. 471. 474. 489. 534., nusquam vulgatam *δαῆναι* et *μιχθήμεναι* IV, 46. — Singularis est epicis formatio imperf. et aor. in activo et passivo verbi generibus in *σκον* et *σκόμην* et non semel in hh. quoque eam usurpatam invenimus. Verba barytona in *ω* hoc suffixum vocali *ε* et in aoristis vocali *α* cum stirpe conjungunt: *φραζέσκετο* II, 168.; *ἔρδεσκε* ib. 177.; *φέρεσκε* ib. 178.; *μισγέσκετο* III, 7.; *ὠρίζεσκον* ib. 58.; *ἔχεσκον* ib. 71.; *χρίεσκε* IV, 237.; *κρύπτεσκε* ib. 239.; *τελέθεσκε* V, 241.[1]) Similes formae verborum in *εω* terminatorum duae exstant: *τάρβεσκον* IV, 251. cum omisso uno *ε*, quum altera *καλέεσκον* XIX, 47. utrumque *ε* servet. Verbis in *αω* haec suffixa sine vocalibus adduntur et *α* stirpis saepe duplicatur. Cum uno *α* legimus: *ἐβίβασκεν* I, 133.; *γόασκε* IV, 209.; *δάμνασκε* ib. 251.; *ἰλάσκοντο* ib. 292., cum *α* geminato: *ναιετάασκον* II, 101. et XX, 4. Sine analogia formantur *ἀνασσείασκε* II, 225. et *ῥίπτάζεσκεν* III, 279., quod utrumque hoc uno loco exstat, nam Homerus formam iterativam verbi *ῥίπτειν* habet semper *ῥίπτασκον*, atque eandem Hesiodus semel, Sc. 256., tum simili modo formatam *ἀποκρύπτασκε*, Th. 157., pro qua nos formam cum *ε κρύπτεσκε*, IV, 239. legimus. Restant praeter *ἐβίβασκεν*, I, 133. duo imperfecta, quae non aliena ab Homero augmentum quoque usurpant: *ἐβόσκετο* III, 193. 232. et *ἔφασκε* IV, 207. 231. Accedit denique forma *ἔσκεν*, IV, 238., quae ut semper in Homericis carminibus, in hh. sensum simplicis *ἦν* servat: *κίκυς ἔσθ' οἵη πάρος ἔσκεν ἐνὶ γραμπτοῖσι μέλεσσιν*; et in Hes. Op. v. 151. eadem exstat et fgm. 96. altera similis *τίθεσκε*, quasi a verbo in *εω* ducta.

5. De verbis contractis. Verba in *εω* desinentia saepe contrahunt *εει* et *εε* in *ει* et in universum numeranti mihi duplex numerus obviam est formarum contractarum. Persona III. praesentis act. octies *ει* assumit, (*οἰκεῖ* I, 172.; *αἱρεῖ* II, 238.; *φιλεῖ* III, 469.; *ῥεῖ* IV, 237., cum quo bene convenit Hesiodi *ῥεῖ* et *νεῖ* nisi in hh. loco *ῥέει* propter metrum assumere prae-

[1]) Ex Herm. edit. etiam *ἐθέλεσκε* addendum est, IV, 25., quod scripsit, ratus syllabam brevem finalem vocis *ἔθελεν* in vulgata lectione produci non posse, tamen haec productio et caesura et interpunctione defenditur. Vide Od. *η* 305.; Il. *ι* 510.

stat; *διοιχνεῖ* XIX, 10.; *ἰαχεῖ* XXVII, 7.; *εὐθηνεῖ* XXX, 10.; *ὀπηδεῖ* ib. 12.), octies *εει* (*ἀναπνέει* II, 53.; *τροχέει* ib. 63.; *πημανέει* ib. 84.; *βαλέει* IV, 288.; *καλέει* V, 321. 460.; *τρομέει* XXVII, 6.; *ῥέει* XXV, 5.); apud Hesiodum similes duae formae in Sc. leguntur: *φρονέει* v. 387. et *χέει* v. 396.; et duo accedunt pass. indicativi cum contractione: *πωλεῖται* I, 170. et *ἡγεῖται* XXVII, 17. Aliter res se habet cum imperfectis, quae omnia in hh. contracta forma utuntur et in activo, *ζήτει* III, 22.; reliqua quinque in eodem ad Merc. h., *ἐπεφόρβει* v. 105.; *ἐφόρβει* 108.; *ὀπήδει* 209.; *ἐνόει* 213.; *ἤρει* 422.; et in passivo verbi genere: *ἐξετελεῖτο* III, 10.; *πωλεῖτο* IV, 80.; *ὀχεῖτο* ib. 217.; *ἐξηγεῖτο* XXVI, 10.; sed Hesiodus ab hac norma abhorret, nam praeter *ἐφόρεις*, Op. 38. et duo pass. imperfecta, *ἐξετελεῖτο* Th. 1002. et *ἐδονεῖτο* Sc. 237. metri causa nusquam *εε* vocales imperf. contrahit. Infinitivus praes. act. quattuor praebet formas contractas: *ὀπηδεῖν* II, 352.; *καλεῖν* V, 173.; *δεῖν* VII, 12. *ὑμνεῖν* XXXI, 1., sex in *εειν* desinentes: *καλέειν* I, 105.; *θέειν* ib. 108.; *τεκέειν* II, 145. et XXXIV, 4.; *προρέειν* II, 202.; *ἀμφανέειν* III, 16.; *ποθέειν* IV, 94.; contra Hesiodus praeter unam *προχέειν*, Op. 596. omnes contractas. Similiter infin. pass. duo terminationem contractam *εισθαι* assumunt, in h. ad Ven. *τεκεῖσθαι* v. 127. et. *μυθεῖσθαι* v. 283.; tres non contrahunt: *τελέεσθαι* II, 164.; *διακρινέεσθαι* III, 438.; *καλέεσθαι* IV, 126. Sequuntur imperativi duo act., omnes cum contracta terminatione, *θάρσει* III, 301. et IV, 193.; *ὕμνει* III, 1.;[1]) IX, 1.; XIV, 2. Si studiosus igitur et accuratius in rem inquirimus, formas nunc contractas usurpari nunc non contrahi solius metri causa facile intelligemus et praesertim verborum longiorum, quae cum brevibus compluribus syllabis in hexametrum non quadrant, nisi contractione duae breves syllabae in longam unam conjunguntur, aut syllaba brevis cum longiore sequente coalescit. — *εο* non saepe vulgarem contractionem habet in *ου*, cujusmodi exempla tria habemus, duo participia: *ἀντιτοροῦντα* III, 283. et *τελοῦντες* V, 369. et unum

[1]) e codd. Paris. tribus multo praestat indicativo *ὑμνεῖ* contra morem poetarum in principiis carminum, itaque nostrum conjectura posuit H. Stephanus, Barnesius in textum recepit.

imperf., *ἐδόκουν* IV, 125., quae codd. et librorum lectione satis firmantur. Novem formae non contrahunt *εο*, contrahunt sex in *ευ*. Imperf. act. sing. exstant: *θάμβεον* I, 135.; *ἔπλεον* II, 221. 230.[1]) 259.; *ἐλούεον* V, 289. melius, quam quod Wolfius et Ilgeniüs volunt *ἐλούον* (*ἀπ' ἀσπαίροντα*) i. e. *ἀπελούον*, nam simplex lavare aptissimum huic loco; *ἐκόσμεον* VI, 11.; pass. *ὀρχεῦντο* II, 18.; *ἐξετελεῦντο* ib. 171.; *ἡγεῦντο* V, 181.; praes. pass. *καλέονται* IV, 96.; *αἰδέομαι* III, 381.; particip. act. *πορέοντες* I, 145.; *φρονέοντες* II, 291.; *ἀνθέον* XXXIV, 8.; pass. *προκαλεύμενος* III, 241.; *ἀρνεύμενος* ib. 390.; *πονεύμενος* ib. 436. — *εου* semel tantum in *ευ* coalescit: *ὑμνεῦσι* II, 12. et XXVII, 19., quum reliquis locis servetur et in III. pers. plur. indic. (*τρομέουσι* I, 12.; *καλέουσι* II, 195.; XXXIII, 9.; XXXIV, 21.; *κρατέουσι* II, 248.; *κερτομέουσι* III, 56.; *φορέουσι* IV, 211.; *στυγέουσι* ib. 246.; *κοιρανέουσι* XXX, 12.); et in particip. act. (*δονέουσα* III, 563.; *φρονέουσα* V, 24. *ἀρτυνέουσα* XXVII, 15.). Homerus quoque rarissime *εου* in *ευ* contrahit, nam tres tantum similes formas conspicimus: *νεικεῦσι εἰσοιχνεῦσι οἰχνεῦσι*, quum Hesiodus saepius, ubi metrum requirit, hac contractione utatur. — Rarissima apud poetas epicos est contractio vocalis *ε* cum sequentibus *η ῃ ω οι* verborum in *εω* cadentium. In nostris hh. ea tantum exempla reperiuntur, in quibus *ε* cum *ω* collidit, non contracta, tres praes. indicat.: *τρομέω* I, 66.; *φρονέω* II, 69. 109.; *φιλέω* III, 382., trisyllaba enim lectio contractae formae multo praestat, ind. fut *ἐρέω* V, 406. pro vulgari *ἐρῶ* secundum Homeri analogiam; tria particip. *ὑμνέων* I, 178.; *φρονέων* II, 304.; *περιτροπέων* III, 542., quorum primum per synizesim duarum syllabarum est. Homerus unicum participium e regula excipit, *θαρσῶν* II. *ε* 124., satis quidem dubium et Hesiodus conjunct. *ἀμελῶσι*, Op. 400. et particip. *ποιῶν* ib 746.. nam reliquas formas non contrahendas sed per synizesim pronuntiandas esse veri similius est.

Verba in *αω* cadentia, quae non ita raro in hymnis Homericis inveniuntur, vulgo contrahunt formas, tamen paucas etiam reperimus non contractas. Pers. I. exemplum exstat:

---

[1]) *συνεκφωνήσει* vox *ἔπλεον* hoc loco pronuntianda est, de qua v. Herm. ad Orphica p. 757.

*ορῶμαι* III, 219.; secundae: *ἀντᾷς* III, 280.; *μενοινᾷς* ib. 489.; *πιλνᾷ* V, 115.; quinque pers. III. sing. *μενοίνα* III, 62.; *ὤπτα* ib. 121.; *βιβᾷ* ib. 225..; *φοιτᾷ* XIX, 8.; *ἠρᾶτο* II, 154; *στρωφᾶτο* V, 48. et plural.: *φοιτῶσι* III, 205. et IV, 124.; *ἐμνῶντο* II, 24.; *πωτῶντο* ib. 264.; infin. *ἐξαπατᾶν* III, 318.; *ἐρευνᾶν* V, 163.; *ὁρᾶσθαι* V, 111.; particip. *προβιβῶν* III, 149.; *ἐλᾶντα* ib. 355.; *φοιτῶσαι* XIX, 20.; *ὁρῶντας* XXVIII, 6.; *ὁρώμενος* III, 279.; *πειρώμενος* ib. 55.; *πωτώμεναι* ib. 558. Quattuor restant verba in *αω*, quae contractionem non praebent: *τηλεθάουσαι* IV, 266.; *κυδιάουσαι* V, 170.; *μειδιάων* VII, 14.; *τηλεθάων* ib. 41.; formae denique plures verbi *ναιετάω*, quas omnes Homerus et Hesiodus eadem ratione usurpant, (*ναιεταώσας* I, 175.; *ναιετάοντας* III, 283.; *ναιετάουσι* ib. 555. et V, 258. 285.; *ναιετάοις* ib. 397.; *ναιετάουσα* XVIII, 6.). Omnes praeterea formas contra vulgarem normam ab illo usurpatas numerare longum est, hic etiam utitur similibus *βριάει βριάοντα ἰχθυάοντες*. Non semel apud poetas epicos formis contractis vocalis ejusdem generis praefigitur, cujus rei in nostris quoque hymnis complura exstant exempla, ut *εἰσοράασθαι* II, 86.; *ἐδριάασθαι* V, 190.; *πελάαν* VII, 44. et cum *o* praeposito, *εἰσορόων* I, 154.; II. 26.; IV, 72.; *εὐχετόωνται* II, 208.; *ἁλόωνται* ib. 276.; *φυσιοώσας* III, 118.; *ἐδεξιόωντο* VI, 16.; *κυδιόωσι* XXX, 13. Imperativo *σάω* XIII, 3., quem eundem in Od. *ν*. 230. invenimus, contra morem vulgarem alius generis vocalis non ejusdem praefixa est [1]). Similia quaedam exempla Hesiodi, multo plura in Sc. quam in Op. leguntur.

Verba in *οω* non frequentia omnino sunt et hh. duas tantum formas prae se ferunt: *ἐστεφανόωντο* IV, 120. non alienam ab usu epicorum, qui vulgo eas contrahunt et *λόον* I, 120., ab Henr. Stephano scriptam pro vulgari *λοῦον*, quam Ernestius similibus exemplis defendere se posse putat, ut contrahatur vox in unam syllabam pronuntiando, quasi *λοῦν* esset.

6. Verba in *μι* desinentia. Exempla eorum non ita rara sunt et plurima quidem aoristi leguntur, qui non tantas quam reliqua tempora praebet diversitates. Sed videamus singula et

---

[1]) Hanc formam *σάω* restituit Baumeist., collatis Hom. locis Od. *ν*. 230. et *ρ* 595. et Callim. Cer. 135.

primo quidem loco ea tractemus verba, quae leges vulgares sequuntur.

Act. praes. semel legitur prima pers. sing., *δίδωμι* III, 564., reliquorum verborum neque I. neque II. pers. usquam exstat, ter III. pers.: *ὀνίνησι* III, 577.; *δίδωσι* V, 489. et X, 2; imperat. *δίδου* XV, 9., praeter quem Homerus etiam *δίδοθι* praebet; infinit. *δοῦναι* V, 209. et XXX, 6.; partic. *διδοῦσα* IV, 232. Neque frequentius legimus imperfect., invenitur enim *δίδου* ter (IV, 210.; V, 206.; XX, 8.); *δίδον* V, 327. *ἔδιδον* ib. 437., quum Homerus longiorem formam plur. pers. III. *ἐδίδοσαν* usurpet; *δαίνυ* IV, 141.; futuri reperiuntur indicat. *θήσω* II, 79. 356.; *ὀνήσω* III, 35. 541.; *δώσω* III, 462. 490. 573.; infinit. *δωσέμεν* V, 44.; particip. *ἀναστήσουσα* V, 288. Aoristorum numerus multo major est, quamquam etiam ii ab usu vulgato non recedunt. Saepissime pers. III. usurpatur; indicat. (*ἔθηκε* II, 118. 341.; V, 195.; *θῆκε* V, 253.; XIX, 40.; *ἐπέθηκε* I, 60.; III, 113.; *κατέθηκε* IV, 165. 236.; III, 36. 134.; *διέθηκε* II, 76. 116.; *ἐνέθηκε* III, 50.; *προσέθηκε* ib. 129.; *ἔθηκαν* VII, 114; *θῆκαν* XXXIII, 12.; *ἔδωκεν* IV, 212.; *δῶκεν* V, 3.; *δεῖξε* IV, 128.; XIX, 45.; *ἔδειξαν* XXXI, 19.; *στῆσε* V, 384. et XXVIII, 13.; *ἔστησαν* III, 327); imperat. *δεῖξον* IV, 134.; infin. *δεῖξαι* III, 393.; particip. *στήσας* XXXI, 15.; *πλήσασα* V, 207. Conjunctivum et optat. tantum *διδόναι* praebet: *δώῃσι* III, 174.; *δοίη* V, 168.; *δοῖεν* ib. 136. Sequitur aorist. II. et plurima exempla verbi *ἱστάναι* leguntur, *ἔστη* V, 173. et VII, 47.; *ὑπέστη* V, 466.; *στῆ* III, 424.; *ἔσταν* VII, 50.; *στάν* V, 63.; praetera *κάθεσαν* II, 325.; imperat. *κάθετον* ib. 309. Generis activi accedunt perf. *ἑστᾶσι* IV, 267. et duo plusquamperf., *παρεστήκῃ* ib. 269. et *εἱστήκει* V, 452. Quare si omnes, quas enumeravi formas spectamus, duae tantum exstant alienae ab usu Homerico *δίδον*, *ἔδιδον* et *εἱστήκει*, quum Hesiodus hanc bis, Sc. 264. et ib. 269. praebeat; sequor enim Aristarchi sententiam, qui Homerum plusquamperf. verbi *ἵστημι* semper sine augmento usurpasse contendit. — Genus passivum et medium. Praes. formae non ita frequentantur, exstant indicat. *δύναται* II, 14.; IV, 7. 33.; VII, 18.; *δάμναται* IV, 17.; *ἐμπίπλαται* XXX, 10.; optat. *δυναίμην* VIII, 11., complura partic.: *δεικνύμενος* I, 11.; *ἀπορνύμενος* ib. 29.; *παριστόμενοι* II, 314.;

*αἰνυμένην* V, 4.; *ἀχνυμένην* in h. in Cerer. vv. 77. 147. 433.; *ἱστάμενος* V, 112. ib. 346.; *πλησάμενοι* V, 170.; *κορεσσάμενοι* ib. 175.; *διζήμενος* III, 216. 262. Sequuntur imperf.: *ὤρνυτο* III, 185. et VII, 36.; *κίδνατο* III, 232.; *ἐλάζυτο* ib. 316.; *δύνατο* IV, 234.; V, 329.; futura *ἐπιδώσομαι* III, 383.; *ἀπονήσεται* ib. 543.; *ὑποθήσομαι* ib. 545.; neque parvus aorist. numerus. Leguntur aor. I. medii indicat.: *κατεστήσαντο* II, 229.; *δείξατο* III, 367.; *ἐρρύσαντο* ib. 505. et IV, 261.; *ἐδαμάσσατο* IV, 3.; *ὑπεθήκατο* V, 483.; conjunct.: *στήσωνται* I, 150.[1]); infinit. *ἀγάσσασθαι* III, 343.; aor. II. indicat.: *ἐθέμην* IV, 255.; *θέτο* V, 122.; *ἔθεσθε* II, 277.; infinit. *θέσθαι* I, 46. 52. Non multum igitur hymnorum poetae in his verbis ab Homero abhorrent, quum Hesiodus complura habeat excepta, sed omnia ea enumerare nihil fere ad quaestionem meam pertinet.

7. Verba anomala in *μι* exeuntia. *ἵημι* praes. indicat. formam prae se fert: *ἴει* XIX, 18., pro qua Homerus vulgo et Hesiodus uno loco, Th. 806. *ἵησι* usurpant, bis particip., semel cum aspero spiritu *ἱεῖσα* III, 114., semel cum leni *ἰεῖσαι* XVII, 18, hoc etiam ab Hesiodo Th. 830. usurpatum (*προΐη* legitur IV, 152., sed Herm. e duobus codd. Paris. mavult *προΐοι*). Futuri infinit. semel legitur, *ἀνήσειν* V, 332, simplex *ἥσειν* Od. *ϑ* 203. et fut. indicat. *μεθήσω* semel in Hes. Op. v. 209.; imperfectum *ἀνίει* V, 307, aorist. I. *ἦκαν* I, 122. et V, 441.; *ἐφῆκεν* II, 179.; *ἀνῆκεν* V, 471. et cum praefixa vocali *ε*, *προέηκεν* III, 193. ib. 295., quem utrumque Homerus quoque et Hesiodus habent, hic bis *ἧκε*, Th. 669. et Sc. 243., semel *ἀνέηκε*, Th. 495. Aor. II. legimus *εἶσαν* VII, 10, quem etiam semel in Il. *ω* 720. invenimus, quum vulgo forma sine augmento usurpetur; *ἀφῶμεν* ib. 22. Restat unicum aor. II. medii exemplum *ἕντο*, II, 335. bene quadrans ad usum Homericum.

*εἰμί* maximam in hh. diversitatem praebet propter usum frequentem. Pers. I. et III. saepissime in singulis carminibus

[1]) Habet hunc et quattuor priores versus Thucydides III, 104. et magnam in codicibus et libris lectionis varietatem comprehendimus. Praeter nostrum *στήσωνται* legitur *καθίσωσιν*, ut Il. *ψ* 258: *ἰζάνειν ἀγῶνα*, et Pollux III, 30. hoc de musico, illud de gymnico certamine dici contendit. Sic neutrum nostro loco praeferendum est, quum utrumque nominetur certamen.

exstant, saepius etiam pers. II. *ἐσσί* (II, 90.; III, 33.; IV, 145. 195.; V, 159); tamen semper haec forma, nusquam brevior *εἶς* Homero praeter illam nota conspicitur, et quattuor quidem prioribus locis accentu instructa, loco quinto enclitice posita. Etiam plur. pers. III. duplicem prae se fert formam, *εἰσί* et *ἔασι*[1]), hanc bis, I, 93. et XXV, 3.; illam sex (III, 277. 311. 339. 552.; V, 103. 148.) et sine accentu et accentu instructam. Conjunct. praes. nusquam reperitur, saepius optativus: *εἴην* III, 379.; *εἴης* IV, 242.; *εἴη* I, 131.; II, 98. 161.; IV, 48.; *εἶεν* I, 152. et semel forma rarior *ἔοι*, IV, 214., quamquam Homero non ignota, quum Hesiodus tantum priorem optat. formationem habeat. Imperat. exempla exstant, *ἔστω* V, 323., (conferas Hes. Op. 306. 370.) et *ἐστέ* II, 274.; qui plane aequat praes. indic. plur. *ἐστέ* V, 119.; infinit. apud Homerum quattuor formas exhibet: *ἔμεναι ἔμμεναι ἔμεν εἶναι*, quarum tres etiam in hh. reperiuntur: semel *ἔμεναι* XXII, 5.; quater *ἔμμεναι* I, 51.; II, 81. 121.; IV, 103.; quaterdecies *εἶναι* (II, 292.; in h. ad Merc. vv. 36. 175. 224. 275. 378. 466. 572.; in h. ad Ven. 178. 221. 240. 284.; V, 87.; VI, 17.). Eandem sequitur Hesiodus rationem, usurpat tres formas: *εἶναι ἔμμεναι* et *ἔμεν* semel, Th. 500., *ἔμεναι* autem nusquam. Valde frequentatur participium, cujus omnia exempla praeter unum femin. *οὔσας*, III, 106. vocalem *ε* terminationi praeponunt secundum Homericam et Hesiodeam normam. Imperf. pers. I. *ἦν*, II, 147. legimus[2]), semel II. pers., *ἦσθα* IV, 186., qua praeter rariorem *ἔησθα* Hom. quoque utitur, III. pers. ter et triplici quidem formatione: *ἔσκεν* IV, 157.; *ἔην* V, 58.; *ἦεν* ib. 97. 110., et tum ab Hom. et Hesiodo etiam usurpantur *ἦν*, ab illo praeterea *ἤην*: bis pers. III. plur., semel vulgarem *ἦσαν*, II, 49., bis minus vulgarem *ἔσαν*, I, 92. et II, 216. Non pauca accedunt futuri exempla, *ἔσσομαι*, V, 363.; pers. II. duplex: *ἔσσεαι* II, 187.; III, 37. et minus vulgata *ἔσσῃ* III, 34., III. duplex, *ἔσ-*

[1]) *ἔασι* Wolfio debetur, non injuria positum, nam quod vulgo exstat „*ἔσαν*“ propter primam syllabam brevem vocis sequentis *Διώνῃ* ad versum non quadrat.

[2]) Vulgata haec est lectio *ἦν ἄρ' ἐν*, sed codd. complures prae se ferunt *ἦ ῥ' ἐν*; quare Matth. mutavit *ἦα ῥ' ἐν*. Tamen hoc refellitur a Baumeistero, cf. animadv. ad. h. l.

σεται septies (I, 87.; II, 203. 318. 362.; IV, 198.; V, 367. ib. 263. ἐπέσσεται); ἔσται quinquies (II, 93.; III, 458.; IV, 196. 279. et παρέσται II, 358.); non igitur, quae apud Homerum praeter eas exstant formae ἔσεται et ἐσσεῖται. Haec etiam ab Hesiodo aliena est, illam semel habet, Op. 403., utramque nostram saepius in Op. Futuri II. pers. plur., II, 298. 302. inveniuntur; infinit. semel cum geminato σ: ἔσσεσθαι IV, 27.; bis cum simplici, I, 54. et V, 466. Excepta igitur una forma, οὔσας III, 106. omnes secundum usum epicorum usurpantur et si quae desunt, id parvo carminum ambitui tribuendum esse jam supra dixi.

εἶμι non frequentes praebet formas. Legitur εἶμι III, 178., II. praes. pers. nusquam, III. ter, II, 4. 9. et III, 549.; optat. III. pers. ἴοιεν, VI, 12., juxta quam Homerus ἰείη II. τ 209. habet et Hesiodus εἴην Op. 617, si omnino haec forma pro optat. verbi εἶμι habenda est, quam rem Buttmannus quidem Gr. gr. uber. I. pag. 541. defendit; imperat. ἴθι V, 323.; infinit. duplex forma, vulgaris ἰέναι semel V, 163. et quater ἴμεν (II, 336.; IV, 220.; V, 302. 484.), quae propter breves duas syllabas bene ad hexametrum quadrat; particip. mascul. quater (ἰόντα I, 2.; XI, 4.; ἰών III, 305.; ἰόντες V, 383.); feminin. bis: I, 106. et V, 398. Accedunt denique tria imperf. exempla: ἐξήει I, 28.[1]), ἤιε II, 242.[2]); ἤισαν IV, 72. Non parvus igitur est numerus formarum, quas poetae epici etiam usurpant, tamen a nostris scriptae bene congruunt cum usu Homerico et Hosiodeo.

Etiam aliorum verborum anomalorum nonnullae formae in hh. exstant, tamen quod tam paucae sunt neque quidquam novi praebent, eas enumerare nullius fere momenti est.

---

[1]) Ita legendum est cum Baumeist., nam neque quod cod. Laur. habet ἐξείει, neque quod ex hoc Schneidewinus mutat ἐξίει, in loci sensum quadrat, optime nostrum, cum quo non inepte hic comparat Virg. Aen. II, 497. „spumens amnis exiit."

[2]) E cod. Mosc. cum Ilgenio Baum. servavit contra vulgatam ἦεν et Clarkii lectionem ἦεν.

# VITA.

Albertus Fridericus Julius Koehn natus sum Sedini a. d. VI. Non. Oct. anni MDCCCXLI patre Johanne, ergastuli urbani viginti quinque abhinc annos inspectore, matre Bertha e gente Sommeriana, quo utroque adhuc superstite laetor. Fidem profiteor evangelicam. Octo annos natus gymnasium Sedinense frequentavi. Inde auctumno anni MDCCCLXI Halas me contuli, ut philologiae studio me dederem. Itaque scholis interfui Vir. Ill. Bernhardyi Bergkii Schalleri Schadii Pottii Hertzbergii neque non seminarii regii philologi per tria semestria fui sodalis ordinarius. Omnibus his, qui bene de me meruerunt gratias quam maximas ago, imprimis Theod. Bergkio et Schallero, quorum alter litterarum antiquarum studium in me excitavit atque coluit, alter philosophiae ejusque disciplinarum amantissimum me fecit.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 059 889 1

# THESES.

I. In Aesch. Agamemn. v. 1060. scribendum esse nihil nisi:

*τί τόδ' ἄχος νέον.*

II. In hymno ad Apollinem Pythium versus 194. 195. 196. non esse spurios.

III. Hor. lib. I. carmen XXVIII. in dialogi formam a poeta redactum esse defendo.

IV. Tribus Romanorum (Ramnes Tities Luceres) totum populum promiscue complexas esse.

V. Tragicos veteres anapaestum prima tantum sede trimetri iambici liberius, sedibus aliis non nisi necessitate coactos usurpasse.

MAR. 23, 1966

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 059 889 1